audiatur; lacrimæ ex oculis noſtris erumpentes primi ſunt ejuſdem interpretes, & ſuſpiria noſtra id exprimunt eloquentius, quam verbis omnibus fieri valeat. Vide Magdalenam ſenſibili hoc dolore confectam; ſtatim ac cor illius hoc confoditur jaculo, ad Salvatoris pedes funditur in lacrimas; & quin illi negotium faceſſant hominum ſermones, magno in cœtu quærit cæleſtem medicum, cui conſcientiæ vulnera aperiat, & ab eo expetat curationem. Sanctus Petrus eodem actus dolore egreditur ſtatim ex eo, in quo erat loco, & lacrimarum exundantia oſtentat doloris ſui magnitudinem: *Et egreſſus foras flevit amare. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deus poſtulat ſinceram culparum noſtrarum pœnitentiam.

Vult Deus corda noſtra conteri, & in pulverem redigi. Hæ loquendi rationes oſtendunt ad iracundiam Dei leniendam non ſufficere profiteri, nos pœnitere peccatorum, ſed acrem concipiendum eſſe eorum dolorem, quem ut plurimum ſingultus, gemitus, & lacrimæ comitantur. Patres de contritione loquentes adhibent verba energetica, apta ad terrorem ignavis animabus injiciendum. Fundamus lacrimas, ſanctus Cyprianus ait, pares magnitudini ſcelerum noſtrorum. Non curis, neque remediis parcatur ad profunda curanda vulnera, ita ut pœnitentia ſcelus exæquet. Preces iterandæ ſunt; noſmet interdiu affligere debemus, & vigilare noctu, vitam totam in ploratibus, gemitibuſque tranſigere, humi, & in cinere cubare, noſmet induere cilicio. Clemens Alexandrinus pœnitentiam baptiſmum lacrimarum appellat. Sanctus Gregorius Nazianzenus ait, ſe recipere pœnitentes, dummodo videat faciem eorum lacrimis madidam. Theodoretus inquit, licet vulnera, quæ poſt baptiſmum recipiuntur, non ſint inſanabilia, ea tamen non æque facile curari, ac antiqua, quæ per aquam Baptiſmi curata fuerunt; ſed lacrimas, & pœnitentiæ ſeveritates eſſe adhibendas. Ita primis Eccleſiæ ſæculis de vera contritione loquebantur. Hodierna vero die plurimi ad ſacram Exomologeſim accedunt, qui nullum, vel certe modicum habent criminum ſuorum dolorem: ſed qui ex corde quærunt in gratiam reverti cum Deo, & recte vivendi principium facere, ut bene mori poſſint; hi nil melius efficere poſſunt, quam negotia ſua ad tempus differre, omnemque ſpiritum in pœnitentiæ ſenſus impendere. *Ex opuſculis Bellarmini. Tomo 5.*

Senſus animæ vere pœnitentis.

Quid feci, quid cogitabam, cum tale ſcelus patravi? Læſi Patrem parentum omnium ſuaviſſimum, & mei amantiſſimum; contempſi illum, cum effundebat in me ſuas benedictiones, & totidem habebam ſuæ in me bonitatis infinitæ documenta, quot illius erant vel in me beneficia, vel in proximum meum. Sed quid reſpondebo Jeſu Chriſto Salvatori meo, qui me licet indigniſſimum dilexit, & tradidit ſemetipſum morti pro me, qui adhuc illum ſceleribus meis lædere pergo. Quod ingrati animi vitium, quæ crudelitas! Dominus meus paſſus eſt turpiſſime cædi, ſpinis coronari, crucifigi pro expiatione criminum meorum; & illum nihilominus recentibus noxis laceſſo? De cruce clamabat ad me *Sitio*; nec ceſſo illi fel amariſſimum propinare? Quis poſſet mihi aperire quænam gloria eſt, quam amiſi, mortale peccatum committens? Heres eram Regni cæleſtis; mihi in præmium deſtinata erat vita beata, atque æterna: huic abrenuntiavi ut ſordida fruerer voluptate; & eadem indignum me præbui per blaſphemiam, quam protuli in Deum, & per teterrimam calumniam, quam intuli proximo meo. Et quid hæc mihi profuerunt? Ecce in maximam corrui omnium calamitatum. Ecce me factum dæmonis mancipium, & ſæviſſimum omnium inimicorum meorum: & ſimulac mortale hoc corpus, quod atteritur, & corrumpitur in ſingulos dies, amiſerit, quod illi reliquum eſt vitæ, peccatrix anima æternis ignibus adjudicabitur. Heu! me miſerum! Cras fortaſſe, hac ipſa nocte demergar in ſtagnum ignis, & ſulphuris; ſed quod maximum mihi dolorem parit, eſt graviſſimum ingrati animi vitium erga Patrem, & Dominum meum, qui eo pluribus me cumulabat bonis, quo audacius illum criminibus laceſſebam. *Idem.*

Quanta ſit Dei patientia expectantis converſionē peccatoris.

Scriptura, & Patres nos docent, quamtumvis conclamata videatur peccatoris ſalus, te, Deus bonitatis, nolle illius obdurationem, & mortem, ſed potius converſionem, & vitam; donec eſt in hoc mundo patientiam tuam ſemper illum expectare, & ubi peccatum abundat, gratiam tuam ſuperabundare. Cum tu ſis omnium hominum judex, eſſe quoque Salvatorem; & cum veneris ad vocandos non juſtos, ſed peccatores, & cum ægris opus ſit medico, non iis autem qui optima gaudent valetudine, beatis impiis in ipſo beatitudinis ipſorum ſtatu te ſuppeditare ſalutaria eorum malis remedia; & validos ſtimulos, ut convertantur. Ut hoc fiat duo tantum requiruntur. Ex parte Dei, quod illis tempus, & gratiam permittat, quod illos expectet, requirat, juſtificet; ex parte vero peccatorum quod vocantis voci reſpondeant, & redimant tempus. Dies enim eorum mali fuerunt; nec illi ſunt amplius illud, quod erant; quapropter agant pœnitentiam, & vitæ rationem commutent. Hæc quidem omnia difficilia ſunt, non tamen impoſſibilia. Impii hi beati non fatigantur Deum lædendo, ſed Deus etiam nonnumqum illos expectando non fatigatur. Voluntatem habent inhærentem malo: ſed cum voluntas hæc ſit indifferens, ferri poteſt in bonum. Sunt ſimiles nivi, grandini, & cryſtallo; frigidi, gelu adſtricti, obdurati; ſed non deſunt miſericordiæ theſauri ſub hac nive, grandine, & cryſtallo, & *nemo* (ut in S. Cypriani dicto perſeverem) *nemo deſperet eos quos adhuc frigidos videt, quia theſauros Dei in nive, & grandine non videt. Ex moralibus Sermonibus Tomo 1.*

In primitiva Eccleſia peccatores qui non ſe ſubjiciebāt legi pœnitentiæ privabantur precibus, & a publicis cœtibus arcebantur.

Certum eſt, donec vigebat fervor Chriſtianus, flagitioſos peccatores, qui ſemet ſubjicere detrectabant legibus pœnitentiæ, non ſolum a communibus cœtibus, precibuſque arceri, ſed non putari quidem veros Chriſtianos conſueviſſe. Quid prodeſt nomen Chriſtiani citra profeſſionem Evangelii, dicebat eorum temporum auctor? Homines, addebat ille, Chriſtiani non ſunt, ex quo hoc illis nomen defertur; ſed e contra hoc illi nequicquam defertur, donec re chriſtiani non ſunt. Et alter vitioſo Catholico exprobrabat, cur te gloriaris non eſſe te in Hæreticorum ſententia, quandoquidem onera tua tibi eamdem præparant pœnam, quam illis errores ipſorum? Sed ubi ad ſalutaria pœnitentiæ remedia confugiebant, dolore errata ſua reparabant, & communis fidelium ſenſus erat, ut ſimulac peccator pœnitens fieret, tunc ultra probro non eſſet Eccleſiæ. Pœnitentes aliis ſecernebantur, & dicere poſſumus, quemadmodum Sancti componebant Eccleſiam innocentiæ ſuæ candore circumundique ornatam; ſimiliter Pœnitentes alteram, prioris ſororem compoſuiſſe, quæ in luctu, lacrimiſque ſuis dicere poterat: filiæ Jeruſalem, nigra ſum, ſed formoſa, & ſub pœnitentiæ caligine inveni gratiæ ornamenta. Ita ſe geſſit Sanctus N. cujus hodierna die memoriam colimus. Ita ille toto vitæ ſuæ ſpatio pœnitentiæ auſteritates exercuit, non ſolum ut præterita peccata ſua expiaret, verum etiam quæ ab hominibus quotidie perpetrabantur. *Auctor Recens.*

Apoſtoli poſt Salvatorē a Chriſtianis pœnitentiam exquiſiverunt.

Prædicatores, quos Dei filius deſtinavit ad mundi converſionem, eumdem ſecuti ſunt ordinem ac ille, ut populos edocerent. Apoſtoli eodem tempore, quo fidem, pœnitentiam annuntiarunt: Patres Eccleſiæ de Baptiſmo, & Chriſtianorum vita locuti ſunt ſub nomine pœnitentiæ: Omnes Sancti ſumma cum auſteritate illam exercuerunt: & ratio ipſa ſuadet, quandoquidem natura generatim nocens eſt per originale peccatum, quod in ea relinquit ſemen ceterorum; & ſinguli etiam homines nocentes pariter ſunt propter crimina, quæ originis ſuæ calamitati addiderunt; tenentur ſemper agere pœnitentiam, & ſatisfacere, niſi velint aliis ſceleribus ſuis cumulum addere recenti injuſtitia & cæca præſumptione. Quoniam vero Chriſtianiſmus illis viam aperit, ut reparent juſtitiam, quam amiſerant, neceſſe eſt, ut illos in pœnitentia contineat, & gratia Salvatoris eos doceat præterita expiare delicta, & Cæli viam reparare. *Auctor Recens.*

Pœnitentia privat hominē omni voluptate, & honore.

Gloria, & voluptas duo maxima ſunt hominis deſideria. Nunquam fere alterius privationi conſentit, niſi illud alterius adquiſitione immolare teneatur: Voluptuoſus honoris obliviſcitur, quia illum allicit voluptatis illecebra: ambitioſus negligit voluptatem, quia illum trahit gloria. Sed pœnitentia aufert homini duorum horum bonorum perfruitionem, voluptatis quidem per doloris amaritudinem, gloriæ vero per ſenſus humilitatis, qui nunquam magis profundi ſunt, quam cum ſe ſontes eſſe cognoſcunt. Invenimus homines pluribus modis humiliatos, qui illis aliorum contemptum conciliant. Primus modus eſt natalium turpitudo, in qua inveniuntur nonnunquam ſordes adeo probroſæ vel ſceleris, vel ſervitutis, ut rubore ſuffundantur, quin noxii habeantur, & in hoc ſenſu peccator exprobrare ſibi poteſt originem ſuam, quæ in lucem edidit ſervum dæmonis, & parentum ſuorum ſceleribus coinquinatum. Modus alter quo homines humiliantur, eſt per naturalia corporis, animique vitia, quorum altera viſum, altera lædunt ſocietatem. Et in hoc quoque ſenſu peccator habet occaſionem humiliandi ſe, conſiderans circum undique ſuas ignorantias, & infirmitates. *Idem.*

Miſeria extrema peccatoris ſine pœnitentia.

Certum eſt gloriam cum miſeria ſimul eſſe non poſſe; & in Sacrorum Bibliorum ſtylo vocabula afflictionis, & humiliationis unum, idemque ſignificant. Nulla autem miſeria major eſt, quam peccatoris, qui procul abeſt a Deo, exutus omnibus gratiæ bonis, & cui æternum inſtat ſupplicium. Sed omnes abjectiones longiſſime abſunt ab illa, cujus cauſſa peccatum eſt: illæ non complectuntur niſi naturæ, vel conditionis calamitatem; hæc autem, quæ ſita eſt in peccato, meretur omnino, ut qui illud commiſit, contemnatur. Hoc pacto peccator potiſſimum humiliatur, & pœnitens, qui omnes colligit humilitatis cauſſas, hanc præ ceteris agnoſcit, & erubeſcit cum ſuimet ipſius contemptu, qui illum ſub ipſo dejicit inferno. Interior hic humilitatis ſenſus Sancti Pœnitentis noſtri mores formavit. *Idem.*

Nōtio veræ pœnitentiæ ab omnibus habenda.

Pœnitentiæ nomen hoc in loco preſſius non excipitur velut ſignificans chriſtianam virtutem illam, quæ conterit cor peccatoris, quæ illum diſponit ad gratiam, & quæ maximos ejuſdem progreſſus concomitatur. Utor nomine Pœnitentiæ, quomodo omnes vulgo uti ſolent ad exprimendas pœnas, quæ pro peccato imponuntur; cujus uſus adeo communis eſt, ut quidquid moleſtum ſuſcipitur agendum in patratorum criminum ſatisfactionem, pœnitentia vocetur. Loquor hic igitur de pœnitentia ſpiritus, videlicet de pœnis, quæ ſufferuntur propter peccatum primis converſionis temporibus. Diſtinguo igitur ſpiritum corporalis pœnitentiæ, ab hac pœnitentia ſpiritus; altera quippe eadem eſt hujus virtutis eſſentia; habitualis, & permanens diſpoſitio, quæ in anima quoque eorum, qui eminent Sanctitate, invenitur; ſed pœnitentia de qua loquimur proprie pœna eſt recentium Converſorum, in quos Dei juſtitia vult animadvertere per rigores ſuos, & quos divina Sapientia vult expiare, & ſeparare ab illiciis amoris Mundi, & amoris proprii per has pœnas. Diſtinguo etiam

hanc

hanc pœnitentia ſpiritus a corporis pœnitentia; quia earum ſeveritates longe differunt, non ſecus ac earum ſubjecta. Cum utrumque particeps fuerit peccati, tenetur utrumque illud expiare pœnis; ſed corporeæ reguntur diſcretione, quæ tempus earum, & vires obſervat, ita ut vulgo neque immodicæ ſint, neque aſſiduæ, cum pœnæ ſpiritus nullam habeant menſuram, nullumque intervallum. Et vere æquum eſt ut quoniam ex duobus nocentibus ſpiritus eſt nocentior, acrius puniatur; ita pœnæ illius aliunde proficiſcuntur, & ab alio imponuntur judice, quam illæ, quas Pœnitentes patiuntur extrinſecus. Spiritus imponit corpori pœnas, quas patitur: ſed Deus ipſe infligit ſpiritui varias pœnas, quibus affligatur; ideoque corporis pœnæ voluntariæ ſunt, & pœnæ ſpiritus neceſſariæ. Licet ſpiritus dominetur in corpus tanquam mancipium ſuum; tamen adeo arcte illi conjunctum eſt, ut ſemper illi indulgeat, ſemperque aures benignas præbeat illius excuſationibus, ut eam moderetur ſeveritatem, quam meretur; ſed juſtitia Dei, quæ pœnas irrogat ſpiritui, capax non eſt, aut erroris, ut decipiatur; aut infirmitatis, ut flectatur. Videamus ergo quas pœnas illa per ſe irroget, & quas juſte permittit in pœnam, vel probationem recens Converſorum; & diſcamus, quam periculoſum ſit lædere Deum juſtum, ac potentem, qui tanta cum ſeveritate in eos ipſos animadvertit, quos jam gratia ſua dignatus eſt. *Auctor recens.*

Lacrimæ quas fundimus eamdē non habent vim ac illæ Sanctæ Magdalenæ niſi eamdem habeant cauſſam.

Credendum non eſt, Auditores, omnibus lacrimis, quas fundimus, eamdem ineſſe vim, ac lacrimis Magdalenæ, niſi fluant ex eodem fonte, & niſi eadem cauſſa eas cieat. Baptiſmatis aqua per ſe nullam habet efficiendi vim, niſi ad Sacramenti dignitatem attollatur per verba baptizantis. Hoc ipſum accidit lacrimis ex oculis fluentibus: inutiles ſunt, niſi illas eliciat pœnitentia. Omnes lacrimæ, quas temperamenti mollities tanta cum facilitate elicit, nihil proſunt ad ſalutem; Omnes illæ, quas elicit boni alicujus, vel amici jactura, ſteriles aquæ ſunt, quæ nihil pro cælo producunt. Opus eſt, ut Sanctus Spiritus eas uberes faciat, alioquin omni fructu carent, vel ſi mavis, ſecundum S. Auguſtini mentem, ac locutionem, docte plorandum eſt. *Docte plangite.* Quid ſibi vult inſignis hic Doctor? Igitur ad lugendum doctrina requiritur? Ita ſane; & hominum plerique ignari ſunt in tribulationibus ſuis: ignorant quippe uſum lacrimarum ſuarum: nam hæc fortunæ perturbatio, propter quam tantum lacrimarum profundunt: hæ neces filiorum, vel amicorum, quæ illis tot, tantoſque dolores afferunt: hoc pravum viri ingenium, & tot alia infortunia, quæ mulieri huic perennem pariunt dolorem; ſi hæc omnia perferrentur propter Deum, & propter peccatorum ejus ſatisfactionem, quos theſauros, quos meritorum acervos illi cumulaſſent! Quæ gloriæ pondera in cælo! Sed hæc omnia pereunt, eo quod lacrimarum uſus ignoratur. *Plangite docte.* Heu! S. Cyprianus addit, cum jacturam feciſtis alicujus boni fortunæ, nullo affici poteſtis ſolatio; ubique proditis doloris magnitudinem, quæ vos premit: Jacturam paſſi eſtis animæ veſtræ, Deique veſtri per ſcelus, & ſiccos habetis oculos, & cor inflexibile? Animam tuam perdidiſti, & non acriter plangis? Non *acriter ingemiſcis?* Video quid hoc rei ſit, & facile cauſſam hujus carentiæ ſenſuum cognoſco. Hoc oritur, ait, quod homines verum habent dolorem jacturæ bonorum, quæ reſpiciunt corpus, & opes terrenas: quia illas habent in pretio, eiſque penitus adhærent. Triſtitia eorum in his omnibus occaſionibus ſincera eſt: ſed in ſpeciem tantummodo dolent ob jacturam bonorum æternorum, quæ flocci faciunt, & de quibus nunquam fere cogitant; quia lacrimæ eorum non manant ex corde, ut olim lacrimæ Magdalenæ, cujus dolor illas excitans non minus violentus eſt, quam ſincerus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

RPO COMMUNI SANCTORUM,

Qui ſemet in Mundo ſanctificarunt bonorum operum praxi

M O N I T U M.

Liquet in ordine naturæ Providentiam conſtituiſſe, ac præſcripſiſſe hanc ſtatuum, & conditionum varietatem, quæ alit ſocietatem hominum, & quæ tenet in mutuis officiis civitates, regna, & Reſpublicas; ſimili pacto ſupernaturalis Providentia Dei in omnes generatim, & ſingillatim fideles vocat illos in eum vitæ ſtatum in quo naſci voluit, aut in eam conditionem, ad quam illos vocavit; ideoque adjecit illis ea media, per quæ ad finem ſuum pervenirent, & gratias, quarum ope ſemet in hoc ſtatu ſanctificarent, & etiam ad eminentem ſanctitatis ſtatum ſe attollerent.

Hinc Eccleſia Sanctos veneratur, & colit ex omni profeſſione, & vitæ genere, & S. Paulus, ut nobis omnem auferret cauſſam, quam prætexere poſſemus negligentiæ Sanctificationis noſtræ in eo ſtatu, in quo ſumus, palam profitetur, non omnes homines eſſe Apoſtolos, Prophetas, Doctores, nec omnes iiſdem talentis donari. Unde ſequitur, Deum non ab omnibus eadem exigere officia, & munera eadem; ſed id maxime optare, ut omnes ſint Sancti, 1. Theſſal. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. *Quin opus ſit afferre argumenta ex veteri, novoque Teſtamento deprompta, in primitiva Eccleſia Chriſtiani omnes fere Sancti erant, eadem exercebant munia, eadem officia, communem vitam ducentes, & ſæpe obſcuram, & abſconditam, quemadmodum fecit S. Joſeph, & per plures annos ipſe Salvator. Sancti vero, de quibus hic quæſtio eſt, ex hoc ſunt numero; ſemet ſanctificarunt in vita communi, & hominum commercio per exercitationem virtutum, ac chriſtianorum dogmatum, per bonorum operum praxim, per obedientiam voluntati Dei, per paſſiones, & ſedulam officiorum ſtatus ſui, mandatorum Dei, & Eccleſiæ obſervantiam. Contingere poteſt igitur, in aliquibus Civitatibus, vel peculiari quopiam in loco celebrari diem feſtum Sancti viæ hujus, quæ Oratori ad elogium texendum nihil aliud ſuppeditabit, quam vitam frugi, & ſancte peractam, quæ quidem ſatis æſtimari non poteſt. Hoc itaque in argumento invenietur rerum ſupellex quæ peculiariter applicari poſſit Sancto, qui pro tali habitus, probatuſque fuerit.*

PRO COMMUNI SANCTORUM,

Qui ſe ſe in Mundo Sanctificarunt virtutum, & bonorum operum praxi.

Fidelitas a nobis habenda, in quocumque ſtatu ſimus, ratio eſt ſeipſū ſanctificandi.

Quoniam infidelitates noſtræ in Dei ſervitio vulgatiſſima eſt cauſſa, propter quam deficit noſtra in Deum confidentia; exhauriamus venenatum hunc fontem ſedula, & conſtanti fidelitate. Nihil negemus Deo ex iis omnibus, quæ ſcimus illum petere a nobis, & certe orantes illum replebimur ſancta confidentia quidquid obtinendi. Impendamus ſaltem aliquod tempus in examine rerum earum, quas Dominus petit a nobis eo in ſtatu, in quo nos collocavit. Arduum non erit illas cognoſcere. Sumus ne in ſtatu religioſo? ne aliud quæramus apertius documentum divinæ erga nos voluntatis, quam regulas noſtras; has deinceps indiſcriminatim, & ſine ulla exceptione obſervemus. Præditi ſumus auguſta Sacerdotii dignitate? Minima etiam ſublimis hujus ſtatus obeamus officia, & ſecundum illius dignitatem vivamus. Vivitis in ſæculo? cogitate, quæ veſtra ſint officia, non quidem generatim, ut plurimum accidit, ſed ſingillatim, & prolixius, Officia erga familiam, filios, ſervos, Officia Chriſtifidelium, praxim pietatis conſtantem, aſſidua Religionis exercitia, inevitabilem Mandatorum Domini, & dogmatum Evangelicorum obſervantiam: & conſilium capite nihil in poſterum Domino negandi. Ita ſanctus ille vir, de quo verba facimus, in ipſis mundanarum curarum impedimentis, & mundi negotiis ſanctificatus eſt; ſimili ratione & nos poſſumus ſanctificari, ſi conabimur illius veſtigia legere, & exempla imitari, *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 1.*

In omni ſtatu quæcumque occurras difficultas, poſſumus ſanctificari.

Hæc perquiſitio curioſa fuit Doctorum virorum, nullum vitæ ſtatum in Republica inveniri poſſe, ubi aliquis ab eadem Eccleſia inter Sanctos relatus non ſit, ut intelligamus, quemadmodum non conditiones, neque inſtituti genus Sanctos minime faciunt, hæc nequaquam illa eſſe, quæ prohibent, ne aliquis ſanctificetur; ſed vita quæ in quolibet genere ducitur, & fidelitas, qua cujuslibet ſtatus officiis defungimur. Hoc olim dicebat Tertullianus fidelibus ævi ſui. *Nihil refert ubi ſitis, extra ſæculum eſtis.* Quid intereſt, quam vitæ rationem profiteamini, dummodo ad illam vos evocaverit Dominus! Ita non quæro utrum ſæculares ſitis, an Religioſi, utrum Sacris Ordinibus initiati, an Matrimonio impliciti: ſed hoc eſſe debet commune Chriſtianis omnibus, cujuſcumque conditionis, & profeſſionis ſint, ut a ſæculi abſint corruptione, quod fieri poteſt in omni genere conditionum. *Auctor Sermonum in omnia Argumenta.*

Inter Reges, milites, mercatores &c. plurimi ſemet ſanctificarunt.

Profecto ex Regum numero, qui inter Fideles illi eſſe videntur, qui majores obices habeant ad ſalutem, infiniti prope ſunt, qui in Beatorum album relati ſunt, poſtquam in Aula profana vixerunt, quin vitiorum contagione inficerentur. Quænam conditio eſt, ubi ſit plus licentiæ, & Religionis minus, quam militum ſtatus? Attamen exercitus fieri poſſet ex illis, qui in eo inſtituti genere ſanctificati ſunt; nec defuerunt legiones integræ, quæ maluerunt mortem ſubire, quam fidei abrenuntiare. Inter homines negotioſos quænam pericula, quænam ſalutis difficultates? Quæ impedimenta!

Non

Non defuerunt tamen multa illorum millia, qui conſummatæ virtutis inſignia ediderunt ſpecimina, & qui ad altiſſimum ſanctitatis apicem evaſerunt. *Idem.*

Multitudo hæc SS. ex omni ſtatu & conditione nos rubore ſuffundet, eo quod eorū exempla ſecuti non fuerimus.

Hæc Sanctorum multitudo ex omnibus ſtatibus, & conditionibus ex Apoſtoli ſententia, ſunt veluti nubes teſtium, qui aliquando inſurgent in nos, nobiſque noſtram exprobrabunt ignaviam: *Tantam habentes teſtium nubem.* (*Ad Hebr.* 12.) Numerus eorum perſpicuum erit, ac manifeſtum argumentum, & nos ſanctos eſſe potuiſſe, & noſtra factum fuiſſe culpa, ſi nobis ſanctos eſſe non contingit. *Teſtium nubem.* Hæc nubes ſupra nos eſt, & in media aeris regione pendens, oſtendens nobis, ſe in terris fuiſſe, quin affectu terris adhæreret; ſe inter negotia, quibus obrui videbatur, per pietatem aſſurrexiſſe, & non niſi de Cælo cogitaſſe. *Teſtium nubem.* Hæc nubes eſt, quæ fert imbres gratiarum, & quæ has impetrat a Deo pro iis, qui iiſdem impediuntur muneribus, eaſdemque difficultates experiuntur. Sed cavendum eſt, ne nubes iſta aliquando ſuper caput noſtrum diſrumpatur, & erumpat in fulmina proferens damnationis noſtræ ſententiam, ſi ita miſeri fuerimus, ut pereamus. *Idem.*

Ii qui in conditione ſua ſalvi facti erunt, aliquando exprobrabunt illos qui in eodem vitæ genere interierunt.

Eheu! Auditores, quam gravi dolore torquebimur aliquando, cum Deus locum oſtendet nobis deſtinatum inter eos, qui ejuſdem ſunt ordinis, & conditionis, cujus ipſi ſumus! Quid reſpondebit homo ille, qui periit ea in conditione, in qua ſexcenti alii, quibus non plura, neque majora fuerunt ſubſidia quam ſibi ſanctificati ſunt. Tunc contra illum conſurgent, ac teſtabuntur illum unice culpa ſua interiiſſe, & conditionem eamdem illi viam eſſe potuiſſe, per quam in Cælum aſcenderet. Quid reſpondere poterit Magiſtratus ille, vel judex qui perierit in eo munere perfungendo in quo obeundo alius ſalutem nactus eſt, quamvis nullum validius præſidium obtinuerit, & cui fortaſſe in eodem tribunali ſucceſſit? Hæc dignitas, quam polluiſti, venalem habens juſtitiam, fuit ne cauſſa damnationis tuæ? dicet illi. Non ita, quandoquidem me Sanctum fecit, tu vero reprobatus fuiſti, quia abuſus es poteſtate, atque auctoritate, quam tibi conferebat. Tu ergo cauſſa es excidii tui, non hæc provincia, quæ tibi ſuppeditabat adminicula temet ſanctificandi. Hoc ipſum de omnibus aliis vitæ generibus dici poteſt: ubi qui ſanctificati fuerunt, urgebunt aliorum damnationem, cum ſuo exemplo oſtenderint, nos non ſolum poſſe noſmet ſanctificare, & ſervire Deo in quolibet genere conditionum, verum etiam nos nunquam melius perfuncturos eſſe noſtræ conditionis officiis, quam cum in ea fidelius ſerviemus Deo, ibique noſmet ſanctificare adnitemur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Qui putant ſe ſanctificari poſſe inter impedimenta [illegible] nequeunt aliquam bonâ cauſâ prætexere.

Ecce quid confundere debet eos, qui hodierna die putant ſe poſſe criſtianam vitam ducere inter eas curas, quæ adhærent profeſſioni ſuæ, vel qui credunt ſtatu, munere, & negotiis ſuis diſpenſari, ne ſanctificationi ſui ipſorum operam navent. Mira illuſio! Auditores, quæ non minus periculoſa eſt, quam communis in Mundo; ubi nihil auditur præter excuſationes, prætextus, difficultates, & obices qui afferuntur, vel potius finguntur in virtutum praxi, & in officiorum ſuorum functionibus; Sed illuſio, quam diſſipandam pro virili parte aggrediar. Fictus prætextus, quem evertere adnitar oſtendens nullam eſſe conditionem, nullum ſtatum, vel munus in quo nequeat aliquis ſanctitatem adipiſci. Hoc argumentum magnum afferre debet ſolatium mortalibus omnibus; quoniam meridiana luce clarius videbunt non ſolum ſe in conditione ſua ſalvari poſſe; ſed etiam debere ipſam conditionem ſuam ſibi tanquam medium ad ſuam ſanctificationem proponere. *Idem.*

Ubi agitur de noſtra ſanctificatione recentes nobis ſuboriuntur difficultates, & obices.

Nihil eſt in quo plures comminiſcamur difficultates, & majores nobiſmet obices fingamus, quam cum de noſtra agitur ſanctificatione. Dolent quidam, & queruntur ſe ſimul non poſſe de Deo, & de negotiis ſuis cogitare; alii ajunt, munus officiumque ſuum cum pietate, ac devotione ſimul eſſe non poſſe; alii denique aſſerunt omnes curas, & cogitationes ſuas negotiis occupari, & abſorberi; & quod magis metuendum eſt, hominum nequitia conditiones omnes periculoſas evaſiſſe, & vitium, atque morum corruptionem ſcopulos ubique ſeviſſe. Ego tamen vobis probaturus ſum, hæc omnia inanes eſſe prætextus, quibus plerique ſibi in flagitiis ſuis aſſentantur, & quibus licentiam æquo effuſiorem excuſare adnituntur, rejicientes in ſtatum, vel officium ſuum difficultates, quæ non niſi ex prava mentis, & cordis eorum affectione proficiſcuntur. *Idem.*

Deus concedit ſufficientes gratias cuilibet ſecundum ſtatum ſuum, ut ſe ſanctificet.

Poſſe nos ſervire Deo, & in omnibus vitæ conditionibus ſanctificari, cum veritas ſit, quæ hinc quidem inanes prætextus omnes evertit, quos affert ignavorum ſpirituum negligentia; inde vero ſedat turbas omnes, quas timor, atque diffidentia in infirmis excitant animabus, ſatis ſolidis argumentis vix probari poteſt. Duo tamen, vel tria mihi occurrunt, aptiſſima ad perſuadendum iis, qui ea voluerint attentius ponderare. Primum eſt, cuilibet vitæ ſtatui, & conditioni proprias ineſſe gratias, & ſingularia ad id adminicula. Gratia, quam Sacra Scriptura Cæleſtem rorem appellat, cauſſa generalis eſt, quæ cuique profeſſioni, ac muneri, & privato cuipiam ſtatui ſe accommodat, ut facile omnibus perfungamur officiis, & omnes obligationes noſtras expleamus. Gratia, exempli cauſſa, cadit in virum nobilem, & facit virum ſtrenuum, & illum zelo ſuccendit tum gloriæ Dei, cum ſervitutis erga Principem ſuum. Ecce quomodo hujus conditioni ſe accommodat. Deſcendit in animam hujus judicis, tribuitque illi cordis rectitudinem, amorem juſtitiæ, vim, ac robur libram æquis lancibus tenendi, quin ex alterutra parte præponderet. Labitur in negotioſum hominem & probatiſſimam inſpirat illi fidelitatem; in Eccleſiaſticum, & hunc efficit hominem divinum vitæ ſuæ exemplo ſuſtinentem characteris ſui ſanctitatem; in Religioſum, & Sanctum facit. Hæc una eademque poteſt eſſe gratia; quæ tamen variis hominum ingeniis ſe accommodat, variiſque conditionibus, in quibus Deus illos conſtituit: Sive gratia ſemper ſit eadem, & differat ſolum propter varios effectus, quos parit: ſive ut innuere videtur Princeps Apoſtolorum, vere ſit multiplex pro varietate perſonarum; & Deus, qui omnes novit ſpecies illius, uſus, & proprietates, illas applicet ſtatui, ingenio, ac ſtudiis ſingulorum: *Multiformis gratia Dei. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Deus unicuique tradit gratias congruas ſtatui, & conditioni ſingulorum.

Liquet, quemadmodum generalis adeſt Providentia, quæ omnibus magni hujus mundi rebus invigilat, ubi omnia concinne in pondere, numero, ac menſura diſpoſita ſunt, non deeſſe aliam particularem, quæ reſpicit gratiarum diſtributionem, eaſque accommodat ſtatui, & conditioni hominum. Hinc infertur, ſi quilibet ſtatus, & quodlibet vitæ genus ſuas habet gratias, ut ſe ſanctificet, ac Deo ſerviat: aſſerere, ſe virum bonum eſſe non poſſe, neque in hac, vel illa conditione ſalutem ſuam poſſe operari, hoc eſt Deum injuſtitiæ nomine inſimulare, quaſi a nobis ea exigat officia, quæ illi præſtare minime poſſemus; hoc eſt velle ordinem Sapientiæ ipſius cauſſam eſſe criminum, & delictorum noſtrorum; hoc eſt illum auctorem conſtituere noſtrorum peccatorum, & excidii noſtri, eo quod eo nos conſtituerit in ſtatu, ubi fieri non poſſet, ut ſanctificaremur: hoc eſt denique deſtruere illius Providentiam, quæ cum hoc diſcrimen inter homines collocaverit, conditiones partitus fuerit, & cuilibet locum, & ordinem aſſignaverit in Mundo, nequaquam illis ſuppeditaverit adminicula, ut officiis ſuis defungantur. Quod ſi inficias ire non poſſumus, nobis non deeſſe hæc adminicula, & gratias, ſequitur ergo futilem eſſe excuſationem, & prætextum omni fundamento deſtitutum, negligentiæ ſuæ cauſſam in Dei ſervitutem, & modicam ſalutis ſuæ curam in ſtatum, & conditionem ſuam rejicere. *Idem.*

Nullus eſt ſtatus vel conditio, quæ proprias non habeat gratias, & qua unice inſignes ſanctitate viri exiſtere poſſunt.

Satis non eſt Auditores, quod ſingulis conditionibus ſuæ ſint gratiæ, & adminicula; nam ſingulæ propria, & ſingularia habent præ ceteris ſubſidia ad finem, propter quem creati ſumus. Quapropter dico etiam, nullum eſſe ſtatum, in quo nemo queat ad inſignem pervenire Sanctitatem; quod arguo ex præcepto, quod nobis Deus irrogavit. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Hinc enim poſito quod Deus exigat a nobis, ut ad ſublimem contendamus ſanctitatem, atque propoſuerit locupletiſſimas coronas, & prima Regni ſubſellia iis, qui illas meriti fuerint; inde vero non liceat ambigere peculiari ſapientiæ ſuæ diſpoſitione ab eo inſtitutas tot varias conditiones fuiſſe, quod ſemper præſuppono, quis cito non arguet quemadmodum ejus Sapientia hanc ſtatuum varietatem inſtituit, bonitatem ejuſdem hanc ad æternam ſalutem retuliſſe, tanquam media ad finem ſuum, & in ſingulis eorum aliqua adeſſe ſubſidia, quorum ope ad illam perveniamus? alioquin in hac diſtributione, in qua videmus tantum inæqualitatis, licet Deus nihil cuipiam debeat, homines tamen ſe læſos rati aliquam haberent cauſſam invidendi aliorum ſorti, & conquerendi ſibi infigi pondus, cui ferendo vires deeſſent, vel ſaltem putandi ſe a Deo quodammodo neglectos fuiſſe inſtituta cum aliis comparatione. *Idem.*

Divitiæ mundi ſectatoribus ſunt fons omnium vitiorum, cum ad illorum ſanctificationem conferre deberent.

Conditio divitum ſatis improbatur in Evangelio, quia divitiæ latiſſimam pandunt viam omnibus vitiis; ſuppeditant nobis, unde noſtris deſideriis ſatisfacere debeamus, ac faciliorem nobis ad illa aditum præbent. Hac de cauſſa toties objectum fiunt maledictionum, & anathematum Filii Dei: *Væ vobis divitibus.* (*Luc.* 6.) Attamen hæ ipſæ divitiæ, ſi illis uti vellemus, quemadmodum utendum eſt illis, quam nobis opem afferrent ad noſtram ſanctificationem? Redimere poſſemus peccata eleemoſynis; omnia caritatis opera, quibus Cælum promittitur, quomodo, aut a quibus melius exerceri poſſunt quam opibus, & a poſſidentibus illas? Non ne dicere poſſumus, ſi divites recte uti vellent divitiis ſuis, illos obtenturos citra laborem quidquid alii per vim, validoſque conatus rapiunt? Hinc ſequitur, hunc errorem eſſe, & illuſionem ab inimico noſtræ ſalutis profectam credere, ſi eſſemus in alio quolibet ſtatu ab eo, in quo Deus nos eſſe vult, & in quo nos conſtituit per providentiam ſuam, nos eidem melius famulaturos eſſe, cum interim præſentia contemnamus adminicula, & gratias præſentes, quas præ manibus habemus, ut alias commentitias optemus, quas neque habemus, neque ſumus habituri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Inanis prætextus eſt dicere ſe quidem in Clauſtro ſanctificari potuiſſe, ſed non poſſe ſe in mundo, in quem Deus nos evocavit.

Mulier illa, quæ inutilibus conficitur querimoniis eo quod ingreſſa non ſit Religionem, ad quam ſe credebat evocari; & quæ inter importuna impedimenta œconomicæ adminiſtrationis cogitat quam beatam viveret vitam, ſi procul a familiæ curis, ac moroſo viri ſui ingenio de uno Deo, ac ſalute ſua eſſet ſollicita; huic uni magno, ac neceſſario negotio vacarem, ait, ſi me prorſus inter clauſtra devoviſſem Domino; & mihi non ſuppetit ultra tempus de hac re cogitandi. Sed quid prodeſt hæc querela? Non ne captum eſt tuum vitæ inſtitutum? Non ne delecta fuit vitæ tuæ ratio? hæc non eſt ultra niſi tentatio, quæ prohibet, ne facias quæ debes, dum mentem occupas tuam cogitando ea, quæ faceres, ſi alio eſſes in ſtatu. *Idem.*

Quod

Status, in quo Deus nos conſtituit ſemper eſt melior, & ille quē nobis congruere melius judicavit.

Quod vero ſolatio mortalibus omnibus eſſe debet in re hac, illud eſt, quod præterquam ſingulis conditionibus ſua adſunt adminicula, & gratiæ particulares, aſſerere audeo, illam, in qua nos eſſe vult Deus, & in qua nos ipſius providentia conſtituit, omnium optimam eſſe, & ad noſtram ſanctificationem aptiſſimam, & ex iiſdem principiis argumentor. Si enim Deus omnia hæc vitæ genera inſtituit, & varias haſce conditiones, quæ componunt Civitates, & Regna, & ſi in hoc Dei elucet Providentia, & Sapientia, quæ diverſa hæc impertit ſtudia, talenta, & ſecretos inſtinctus hominibus, quorum alii aliud inquirunt ad civilem ſocietatem hoc pacto ſuſtinendam: *Unicuique ſicut diviſit Dominus*, (*1. ad Cor.* 7.) ut Apoſtolus loquitur; igitur Deus eſt, qui diverſas has perſonas applicuit, & ad varia vitæ genera peculiari vocatione appellavit. Quicumque enim vult finem, vult etiam media per neceſſariam illationem; alioquin ſi hæc Dei Providentia non tendit ſolum ad bonum commune, & univerſale magni hujus mundi, verum etiam ad bonum cujuslibet ſingillatim, qua in re ab humana diſtinguitur, qui particulare bonum publico ſacrificat; ſequitur, ubi nos Deus ad aliquam conditionem aut aliquod vitæ genus vocavit, haud hæſitanter poſſe affirmari, hunc illum ſtatum eſſe quem optimum nobis cenſuit, & in quo per æternam præſcientiam ſuam vidit, nos facilius, ac utilius ſanctificationi noſtræ cooperaturos eſſe, ſi illius conſiliis obtemperaverimus. *Idem.*

Contendendum eſt, ut noſmet ſanctificemus eo in ſtatu, in quem nos Deus evocavit, neque obmurmurandū eſt cōtra illius Sapientiam quod non alium nobis ſtatum tribuerit.

Quin contra divinam hanc obmurmuretis ſapientiam, quæ vos hoc in loco conſtituit; quin inutilia foveatis deſideria ejus rei, quam vobis nequaquam utilem cenſuit, cur non exeritis conatus veſtros, ut illius de vobis conſilia expleatis? Videlicet cur eidem obſequi non ſatagitis, ſimulque voſmet ſanctificare conamini eo in ſtatu, in quo vos eſſe voluit? Hic adſcititius eſt color, quem homines affigunt negligentiæ ſuæ, cum afferunt & negotia ſua, & dignitates, & curas, & conditiones, ut ſe diſpenſent ab officiis hominis Chriſtiani, & ut ſalutis ſuæ curam abjiciant: *Quod ipſi gerunt*; S. Ambroſius inquit, *officiis ſuis adſcribunt.* (*Ambroſ. ſerm. 7. de milit.*) Perſonalia vitia ſua in ſtatum ſuum rejiciunt; non profeſſio tua prohibet ne ſervias Deo, ſed unice prava voluntas tua. Hi omnes prætextus fallaces ſunt, atque inutiles, quoniam poſſumus non ſolum noſmet ſanctificare; ſed etiam ſummum perfectionis apicem in omni conditionum genere attingere. *Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Quo magis ad noſtram ſāctificationem incumbimus eo magis noſtræ conditionis officiis defungimur.

Hæc, Auditores, propoſitio priori minus conſtans non eſt: nunquam melius ſatisfacimus noſtræ conditionis muneribus, quam cum melius Deo obſequimur, & fidelius ſanctificationi noſtræ vacamus; ideoque tantum abeſt, ut hæc duo ſimul eſſe non poſſint, ut ſibi mutuo dent manum, & alterum alterius alternis firmetur ſubſidiis. Ut hoc liqueat, non eſt cur longius argumenta petamus; afferam ſolum rationes aliquot probatiſſimas, & quas rudis quiſque facile intelligere valeat; videlicet Chriſtianiſmum, & Dei cultum nullam cum ſtatu noſtro habere oppoſitionem; ſed e contra ſe accommodare omnibus conditionibus, ac ſtatibus: immo auxilium nobis præbere, ut eorum perfungamur officiis: & præterea conditionem noſtram nobis re ipſa media ſuppeditare præſtandi Deo quæcumque a nobis expetere poteſt; ac tandem omnem ſanctitatem noſtram in eo poſitam eſſe, ut adipiſcamur perfectionem propriam ſtatus, & conditionis, in quas nos divina providentia conſtituit; *Idem.*

Nullus ſtatus eſt, vel cōditio quæ non ſuppeditet media apta ad requirendam ſanctitatē.

Nemo inficias ire poteſt media præſtandi Deo quæcumque a nobis exigit, abunde nobis in quavis conditione ſuppetere; & ſine recenti laboris acceſſione, eadem facientes, quæ facimus, eademque negotia pertractantes, quæ tractamus, poſſe nos ſanctificari, & inſignes ſanctos evadere; quia nulla eſt actio tam abjecta, & humilis in quolibet ſtatu, quæ rectis rationibus nequeat animari, & ſuam in Cælo mercedem mereri. Ita, ut ſalutem veſtram operemini, ac Deo ſerviatis, nequaquam jubemini mundo vale dicere, negotia veſtra deſerere, bonis, ac prædiis veſtris abrenuntiare, quæ tamen vobis eſſent facienda, niſi alioquin ſanctificationi veſtræ animum poſſetis appellere. Sed Deus, ut ita dicam, vobiſcum paciſcitur: non cogit vos, ut ſtatum, & conditionem mutetis, ſed ut recte in illo vivatis, omniaque illius obeatis officia. *Idem.*

In omnibus ſtatuum & conditionū generibus nihil officere poteſt ſāctificationi noſtræ ſed nos ibi aliquem in iis obicem cōminiſcimur.

Omnibus fatendum eſt, id quod ſingulis muneribus, vel conditionibus eſt eſſentiale, ſaluti noſtræ obeſſe non poſſe, & id unum, quod ipſi adjicimus ex nobiſmet, id unum officere. Quærere enim unde victum nobis comparemus, in quo noſmet occupemus, & publico utiles ſimus, id in quolibet ſtatu eſſentiale eſt, & donec in eo morabimini, audeo dicere virtutem perfecturam eſſe ſtatum veſtrum, & hunc viciſſim ad virtutis exercitationem non nihil eſſe collaturum. Sed dæmon, quem Tertullianus appellat corruptorem operum Dei, illis admiſcens ſua; dæmon inquam abutitur illis, ſuiſque inſervire facit conſiliis prorſus oppoſitis naturæ illorum, ac inſtitutioni, cum ſequimur placita, quæ ſuggerit nobis, quæ res omnem parit civilis, ac moralis Mundi perturbationem. In hoc munere, & ſtatu, quem ob id unice amplexus es fortunas tuas augere quæris: & hoc omnes has parit injuſtitias, fraudes, & illicita locupletandi media. Hac arte cupis eniteſcere, ac inter alios ordinis ejuſdem fulgere; hinc luxus, ſervorum caterva, inanes ſumptus; non aliud quæris niſi ut tempus fallas; hinc ludi, convivia, ſodalitates, frequentia compotationum, & commeſſationum, qui totidem ſunt obices & muneri ſtatus tui explendo, & ſimul ſanctificationi tuæ procurandæ. Sed diligenter inſpice ea omnia, quæ te in peccatum impellunt, eſſe quemadmodum aliena a ſtatu, & munere tuo, & quidquid aliquid confert, ut tuis perfungaris officiis ſimul efficere, ut ſanctior ſias, ac virtute cumulatior; ideoque duo hæc ſibi mutuo ſunt ſubſidio, & auxilio; verum etiam hoc illud eſt, quod a nobis expetit Deus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Vult Deus in omnibus ſtatibus & conditionibus ſanctos inveniri.

Si præceptum, quod irrogat Deus hominibus univerſis, ſeſe in quocumque tandem ſtatu, vel conditione, ſint ſanctificandi, jungis ſimul cum hoc adeo certo principio, quod ipſi ſtatuimus, videlicet Deum velle ut in omnibus ſtatibus, & conditionibus homines ſancti fiant, facilis eſt argumentatio, menſuram perfectionis, quam exigit a nobis, comprehendi in propria perfectione ſtatus, in quo nos providentia conſtituit. Itaque tanquam conſtantem ſupponimus veritatem, tantum abeſſe, quod noſtra conditio ſit obex ſaluti noſtræ, ut immo melius, tutiuſque hanc operari nequeamus, niſi utrumque ſimul nectentes, quandoquidem mutuis ſe ſe juvant auxiliis. Nunquam Deo melius ſerviemus, neque facilius ſanctificabimur, quam perfungentes conditionis noſtræ muneribus; neque his melius perfungemur quam omnem navantes operam, ut Deo in conditione noſtra ſerviamus, ibique ſanctificemus. Quam frigida ergo iſthæc eſt excuſatio noſtra, S. Chryſoſtomus in hoc exclamat argumento! *Nequaquam frigida illa verba proferas, mundanus ſum, uxorem habeo, filiorum curam gero*; (*Serm. 9. contra Judæos.*) Quaſi nemo unquam ſanctus, & perfectus extiterit inter curas frequentioris familiæ, & inter negotia longe noſtris graviora & impeditiora. *Idem.*

Non licet ambigere, prætextus qui afferuntur ut homines ſe diſpenſent a cura ſemet Sanctificandi futiles ſunt, & ſine fundamento.

Nobis igitur modo dubitandum non eſt, quominus in omnibus conditionibus noſmet ſanctificare valeamus; verum quo dolore aliquando torquebimur videntes tot inter vias, ac ſubſidia ſanctitatis indipiſcendæ in nullam reditus ſpem interiiſſe? Quid reprobo huic non exprobrabit Deus? Te eo conſtitueram in loco, ubi commode poteras Cælum adquirere, ergo te in eo ſtatu collocaveram, qui cæli aditum reddebat tibi faciliorem: memet tuo ingenio, ſtudiiſque tuis aptaveram vocans te in hunc ſtatum, & nihilominus omnia hæc neglexiſti ſubſidia, & periiſti! *Perditio tua ex te Iſrael.* (*Oſee* 13.) Tu te perdere voluiſti, & ob tuam voluntatem æternum miſer eris. Noſtrum eſt hæc mala prævertere, obſequendo conſiliis Dei; & ſerie vacando ſanctificationi noſtræ eo in ſtatu, & conditione, ubi nos collocavit; quoniam cauſæ, quaſcumque prætexere poſſumus, futiles ſunt, & fundamentis laborant. Si nondum certum aliquem ſtatum ſumus ingreſſi, mature deliberandum eſt; neque cæcorum more ſtatuendum inconſulto Deo, & inexplorata numinis voluntate in optione tanti momenti ad noſtram ſanctificationem. Sin autem electio facta eſt, & vitæ ſtatus ſuſceptus, in hoc omnino ſerviendum eſt Deo; & ex hoc faciendum eſt medium tutum ad noſtram ſanctificationem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In mundo civili conciliari poſſunt ſtatus officia cum officiis Religionis.

Liquet mundum corruptum, & inſpectum tanquam tenebrarum imperium, nimis oppoſitum eſſe ſpiritui veritatis, ut impia illius placita cum ſanctis Evangelii dogmatibus concilientur. Abſit, me imminuere velle anathemata, quæ Jeſus Chriſtus optimo jure protulit, & conciliare cultum Baal cum illo Dei Iſrael. Sed ſi conſideraverimus mundum tanquam ſocietatem mortalium varias conditiones conſtituentium, vel acervum profeſſionum, quarum aliæ aliis præſtant, ubi homines vel ortu, vel talentis ſuis impliciti mutua ſibi præſtant ſubſidia, ſinguli in ſtatu ſuo ſecuritati ſuæ proſpicientes, commoditati, gloriæ, & Patriæ ſuæ bono; commercium hoc, hoc vinculum & reciproca utilitas, quæ mores format, rationem excolit, & nos aliis viciſſim efficit neceſſarios; proculdubio in ordine naturali eſt præſtantiſſimum opus divinæ ſapientiæ, peculiaris character, & glorioſa naturæ humanæ proprietas. Et hoc in ſenſu error eſt affirmare, Evangelii dogmata, & moralis ejuſdem diſciplinæ puritatem ab officiis cujuslibet profeſſionis abhorrere. *In Collectione Orationum oblatarum Gallicæ Accademiæ anno 1703. Sermo primus.*

Perfecta ſimilitudo hominis honeſti cum vero Chriſtiano.

Vir honeſtus etiam ſecundum mundi ſenſum, & perfectus Chriſtianus adeo ſimiles ſunt, ut qui utrumque confundat, non admodum decipiatur. Tandem enim quænam eſt imago hominis honeſti quam in mundo concipimus? Hæc profecto congeries eſt qualitatum, quæ potiſſimum in Chriſtiano requiruntur. Vir honeſtus cor bonum habet, rectas intentiones; ſpiritus illius illuſtratus eſt ad bonum ſecernendum, & voluntas ejus ſequitur illud: nobiles, ac ſublimes ſunt ſenſus illius, juſtitiæ potius, quam propriæ intentus utilitati ſeveriſſimus eſt in ſeipſum judex. Si de Reipublicæ bonis agitur, bona illius publici fiunt theſauri; ejus opera non ex aliis manant principiis, quam ex animi magnitudine, neque ad alium finem, quam ad gloriam referuntur. Ejus obedientia eſt effectus rationis ſuæ, non metus ſervilis. Sed ſi hæc imago eſt honeſti viri juxta Mundi ſenſum, ubi eſt igitur hominis Chriſtiani imago? Non ne Jeſu Chriſti morum diſciplina miniſtravit mihi colores, quibus utrumque ſimul deſcripſi? Quæ vitæ conformitas, quæ ſenſuum ſimilitudo inter virum honeſtum, perfectumque Chriſtianum, in hiſce eſſentialibus vitæ circumſtantiis, ex quibus probitas pendet, & Religio! At enim, quinam conciliari poſſunt ſeveræ Chriſtianiſmi leges, cum officiis, quæ mundus ab honeſto viro requirit, cum hac ratione, complacendi ſtudio, aſſiduita-

tis,

te, lepore, alacritate? Chriſtianus ad hæc minuta, quæ artis placendi requirit, demitti non poteſt. Falleris. Caritas in uno efficit, quod in altero morum elegantia. Perfectus Chriſtianus admodum facilis eſt commercii; mores illius ſuaves ſunt, & officioſi. Non ambit dominari in ſocietatibus. Ejus alloquium abhorret ab acrimonia, & amaritudine: cor ejus ignorat invidiæ motus, & expers eſt improbæ lætitiæ, quam aliena calamitas in hominum faciem, ac ſermonem effundit. Ergo nequidquam conaris non ferendum interſerere vallum inter hominem, quem Mundus honeſtum appellat, & verum Chriſtianum; utrumque inſpicere ſatis eſt; eadem utrobique tranquillitas, idem ſermo, eadem vitæ ratio. *In eadem collectione ſermo primus.*

In quovis ſtatu, & conditione ſine labore, ac ſumptu noſmet ſanctificare non poſſumus.

Hoc quidem re adhuc integra conſtat, in variis mundi conditionibus magnos ad ſalutem obices inveniri; abſit enim ut arctam Evangelii viam latiorem velim efficere; virtutis ſemitæ ſemper aſperæ ſunt, ac ſpinis ſeptæ quovis in ſtatu. Sed quinam ſine labore, & ſine ſumptibus ſemet ſanctificare contendit? Nunquid Cælum nihil meretur, & mundus ſolus meretur, ut pro illo fiant omnia? Ita cum dicimus, nos in mundo ſanctificari poſſe, non aſſerimus in mundo facilius, quam inter clauſtra hominem ſanctificari poſſe; neque illud dicimus jucundius eſſe laborem impendere pro mundo, quam pro Deo, & noſtra ſalute. Immo ipſa experientia docet oppoſitum mundi ſectatores. Etenim qui vult ditari, & Principum virorum aucupari gratiam, quot labores ſuſtinendi ſunt? quæ ſervitus ferenda? quæ aſſiduitas adhibenda? Quot competitores ſemovendi? quot evitandæ libidines? quot tædia voranda? Nunquid cuperes, ut bonorum omnium præſtantiſſimum, & unum quod beatos nos efficere valeat, citra labores, & ſumptus adquiri poſſet; cum interim minima mortalis, breviſque vitæ hujus bona non niſi cura, conſtantia, patientia, labore quærantur? Verum igitur eſt in mundo homines ſanctificari poſſe, ſed haud ægre, & ſine labore ibi ſanctificari poſſe, hoc falſum eſt. *In eadem collectione, eodemque Sermone.*

Multorum Sanctorum exempla perſuadent nos poſſe in mundo ſanctitatem indipiſci.

Memoria repetamus vitæ rationem tot inſignium virorum, qui nos præceſſerunt; evolvamus annalia, in quibus deſcripta ſunt facta inſignium fidelium, quos Religio nobis tamquam prototypos ad imitandum proponit. De ſæculo in ſæculum aſcendamus, & conſideremus ingentem hanc copiam Sanctorum utriuſque ſexus, ætatum, & conditionum omnium; & ex nobiſmetipſis percontemur, cur in eodem ſtadio, ac illi currentes, eadem obtinentes officia, noſmet nequeamus in ſæculo ſanctificare, quemadmodum illi ſanctificati ſunt? *Idem.*

In ipſa celſitudine, & in mundi ipſius luce Sancti eſſe poſſumus.

Pompas, & luſum mundi contemnere, non eſt donum ita clauſtris, deſertiſque adnexum, ut illius exempla in editioribus etiam conditionibus inveniri minime poſſint. In ipſo Aulæ meditullio, quod ut ita dicam, centrum eſt mundanæ vanitatis, ubi hæc mundi figura majori in luce coruſcat, & exhibet objecta ad cor fallendum, & ciendam cupiditatum acrimoniam aptiora, David, Eſther, S. Ludovicus vim habuere ſemet attollendi ad cogitationes æternitatis, ineundi ſecretum cum Deo commercium, erigendi eidem thronum in corde ſuo, ut ſolus imperii ſummam teneret, ubi in ſpiritu, & veritate coleretur; & ubi, licet fallaces mundi conceptus, & ſollicitationes rerum omnium, quæ majoribus illecebris pollent, aliter ſuaderent, ratio ſemper audiretur, & lex æterni Regis ſemper obſervaretur. *Idem.*

Character honeſti Hominis Chriſtiani.

Ut manum extremam, ac ultima addamus lineamenta prototypo, quem Chriſtianus homo ſibi proponere debet; Chriſtianus eſt homo abſolutum exercens imperium in omnes motus animæ ſuæ. In proſperis modeſtus eſt, in adverſis conſtans, datæ fidei religioſus obſervator; ſincerus in amicitiis, affabilis in colloquiis, zelator publicæ felicitatis; fidelis Regi ſuo, ab omni cupiditate vacuus, & humanorum reſpectuum expers; caritate plenus ſine ſuperbia, pius ſine hypocriſi, ſemper ſibi conſentiens, ſemper paratus ad reparandum, ſi quid offenderit; erga omnes officioſus, & tantæ bonitatis, ut aliorum felicitatem conſtituere, aliorum miſeriam valeat recreare. *Idem.*

Non omnes tenentur initum cum mundo commercium infringere.

Si ſecundum generalem regulam judicium ferendum eſt, dubio locus eſſe non poteſt, quominus æternum cum mundo divortium tutiſſimus ſit ſtatus ad ſalutem. Animam ſublimius attollit ad Deum, illam arctioribus vinculis eidem conjungit; illam, ut ita dicam, a ſenſibilibus expedit objectis; ejus cupiditates emundat, eamque in ſuperiori collocat regione, ubi nulla turba, aut tumultus ejus tranquillitatem valeant perturbare. Hinc divinus Sponſus edicit, ſe ducturum illam in ſolitudinem, ut eidem loquatur ad cor. Tamen ex his principiis arguendum non eſt, omnia mortalium genera ad innocentiam tuendam debere initum cum mundo commercium infringere. Hoc enim conſilii eſt, & ad perfectionem ſpectat; non autem eſt neceſſitatis. *In collectione Orationum Pariſienſi Academiæ oblatarum anno 1703. Sermone tertio.*

Character Chriſtiani fidelis Deo in Mundo.

Conſideremus Chriſtianum ſemper officii ſui regulis inhærentem, medium in ſæculi corruptione; ſequamur hunc ſemper attentum officiis ſuis, a quibus nulla obtineri diſpenſatio valet; huic ſatis non erit evitare ſtatus ſui vitia; pro virili etiam virtutes omnes adipiſci conabitur; haud ignarus, teporem relaxationis, relaxationem vero flagitiorum omnium originem eſſe. Aſſiduo labore omnes ſuperabit obices, quos in perfectione offendet; cumque ejus pericula ſint perennia, perennis quoque erit ejus vigilantia, ut ex illis victor evadat. Ita Chriſtianus hic gratiæ ope in ipſa mundi luce fidelis erit Deo, quin exteriores occupationes illum avertant ab officio, quin vanis ambitionis, ac fortunæ ideis repleatur; quin prava exempla illum in vitium trahant; quoniam flagitia ab homine proficiſcuntur, non autem ab illius ſtatu, & conditione. Quin adhæreſcat perfunctoriis bonis, quæ poſſidet, vel æternorum obliviſcatur, quæ illi Religio promittit, non quærit in dignitate, vel opibus ſuis inanes relaxationis prætextus; invenit etiam in ſua proſperitate virtutis argumenta, quibus revocatur ad Deum per animi grati ſenſum, & quibus cogitur fidem ſervare Deo, quibuſcumque illiciis urgeatur, ut ab illius cultu recedat. *Idem ſermone quarto.*

In mundo ſancta vita dici poteſt.

Omnes fere virtutes in mundo poſſunt exerceri æque ac in remotioribus ſaltuum latebris; poſſumus enim inter homines vivere, quin in partem accedamus corruptionis, & vitiorum eorum, per gratiam ſupra naturam aſſurgentes, & ſecuti leges vitæ communis, cum ad ſublimiorem vitæ rationem non evocamur. Verum eſt Scripturam deplorare mala eorum, qui viam latronum ſequuntur; verum ſimul hortatur illos, ut arctiorem ingrediantur. Malum non eſt publicam exercere dignitatem, eminentem honoris gradum tenere, præeſſe exercitui; ſed ſe præbet nocentem, qui his abutitur locis ad explendam ſuam ambitionem, & cupiditatem, ad opes congerendas ſumptibus miſerorum, qui ſub injuſtæ poteſtatis pondere conteruntur. *Idem Sermone 4.*

Satisfieri poteſt ſimul & Religioni, & urbanitatis officiis.

Quin abrenuntiandum ſit hominum commercio, haberi poteſt pietas nullis ſæculi tentationibus labefactanda, conciliari poſſunt vitæ civilis officia cum illis conſcientiæ, noſmet poſſumus attollere ad Deum per fidem, noſmet proximo communicare per caritatem, & ſi quid peccaverimus, expiare per pœnitentiam. Poſſumus etiam in imis cordis noſtri adytis quamdam ſolitudinis ſpeciem concinnare, ut a mentis evagatione noſmet tueamur, quam negotiorum pariunt impedimenta. Si harum animarum hiſce privilegiis præditarum numerus minus frequens eſt, inveniuntur adhuc fideles, qui in mundo vivunt quin mundi ſpiritum aſſumant, & jugiter contra concupiſcentiæ motus dimicant. *Idem Sermone 4.*

Vera virtus eſt rite defungi omnibus ſtatus & conditionis ſuæ officiis.

Vera virtus noſtras cogitationes, & conſilia, motus, & greſſus inter ſtatus noſtri cancellos coarctat. In actionum noſtrarum œconomia ea obtruncat omnia, quæ extra ordinem ſunt, atque in omnibus occupationibus nos continet tanquam ſub manu Dei. Efficit, ut ad beatam progrediamur æternitatem ſecus viam, quam nobis Providentia indigitavit, quin ad dexteram, vel ad ſiniſtram deflectamus. Sapiens ex D. Auguſtino innuit, ne vel in ſuperbiam, vel in ignaviam incidamus. Viventes, agentes, & hoc pacto noſmet gerentes meritorum theſauros congerimus; occupationes noſtræ ſeu magnæ, ſeu modicæ, conſuetæ, vel inſuetæ, nitentes, vel caliginoſæ, actiones noſtræ magis ſimplices, magis communes, & familiares, magis abjectæ & contemptibiles in hominum oculis, in oculis Dei meritum habent, ac ſpeciem, quæ divinæ miſericordiæ obtutum in nos convertit, & figit. *Auctor recens, & Anonymus.*

Neceſſitudo quæ inter honeſtum virum, & vere Chriſtianum intercedit.

Pleriſque mortalium videtur nihil magis inter ſe differre, quam honeſtum eſſe hominem juxta Mundi ſenſum, & verum eſſe Chriſtianum, religionis amatorem. Diceres profecto primo intuitu inter hæc duo nihil eſſe commune. Probitas ſecundum mundum opus eſt naturæ, & rationis. Natura illam imprimit in corde, ac ſpiritu, & ratio illam fovet, ac perficit. Sed Religio non aliud habet principium, niſi Deum. Probitas, qualis a mundo concipitur, ad naturalia tantum fertur officia, & nonniſi quamdam reſpicit naturalem felicitatem, quam inter homines conſtituit, quæ ſæpe per eorum excidit improbitatem, & quæ unum cum illis finem eſt habitura. Fatendum eſt tamen, quoſdam inter utramque nexus inveniri, ut vix, & ne vix quidem fieri poſſit, ut ſeorſim ſubſiſtere valeant. Neceſſe eſt aliquid Religionis habere, ut aliquid habeas probitatis; & viciſſim neceſſe eſt aliquid probitatis habere, ut aliquid habeas Religionis. Quænam regula, quod fundamentum eſſe poſſet nobis ad ſtatuendam probitatem noſtram, niſi in ipſa Religione eſſet conſtituta? Religionem conſiderare debemus tanquam catenam, quæ nos Deo adnectit & cum illo conjungit. Quomodo autem fieri poſſet, nos Deo conjunctos eſſe, niſi ſimul eſſemus conjuncti? Conjunctio quippe cum Deo ſupponit conjunctionem cum hominibus, & complectitur officia omnia, quæ illi a nobis exigunt. *Liber cui titulus: Vitæ civilis officia.*

Religio, & lex Chriſtiana approbat, & non condemnat vitæ civilis officia.

Credendum non eſt ad hoc ut in mundo vivamus neceſſe eſſe, ut ſaluti noſtræ abrenuntiemus. Religio non deſtruit ſocietatem; e contra approbat, quod amicos habeamus, quod illis hæreamus, & ſunt occaſiones quædam, ubi aſſentitur, ut vitam ipſam ſacrificemus, noſtram erga illos benevolentiam teſtaturi. Si etiam ultra amicitiam extendit; præcepit ut omnes diligamus, & alii alios mutuis viſitationum officiis excipiamus. Illa tandem ſocietati parum adeo oppoſita eſt, ut velit quidem ut per intervalla aliquot horas innocuis voluptatibus impendamus, neque ægre fert convivia, & ſolatia inter amicos honeſta; hæc enim adminicula ſunt ad roborandam mutuam inter nos conjunctionem, & ſocietatem fovendam. Illud vero efficit, ut nobis perſuadeamus mundum cum Religione non ita facile conſentire quia alteri adhærere non poſſumus, quin ab altero diſſentiamus, quia civilis, urbanæque vitæ non ſervantur officia. *Idem.*

Sanctiſſimus quiſque melius novit vitæ civilis officia cum pietatis officiis conciliare.

Illi, qui optime norunt quidquid ſolidum, & magnum eſt in Religione, id norunt etiam melius cum mundo conciliare. In mundo, ubi ſequi videntur vitæ rationem honeſtam, facilem, quæ neminem exaſperat, & quæ jucunda eſt æque ac irreprehenſibilis; etenim ne cuipiam diſpliceant non minor in illis deprehenditur cura. In Religione videatur ordinem ſervare, ſubjecti, ſeveri in ſemet, faciles erga omnes in iis, quæ eorum non adverſantur officio; in iis vero, quæ lædunt ea dogmata, quæ ab ipſis exercentur, magis adhuc diſcreti ſunt, ac magis verecundi. Ita qui conciliare norunt ſimul mundum, & Religionem, ex mundi placitis abſcindunt quidquid ipſis vitioſum, atque corruptum videtur, & retinentes in Religione quidquid ſolidius eſt, & rejicientes omnino quidquid plerumque hypocriſim ſapit, & quod aptius eſt ad illam in hominum mentibus contemptibilem efficiendam, quam ad augendam reverentiam noſtram, & zelum: In Religione inviolabiliter adhærent morum diſciplinæ, quæ coaleſcit ex præceptis a Dei filio nobis relictis: & in mundo eas ſequuntur conſuetudines, quæ nulla in re Evangelio repugnant: ita ut tota eorum vivendi ratio præſeferat quemdam characterem probitatis, juſtitiæ, & pacis, qui ſeſe effundit in omnes actiones eorum, quin aliquid in illis coactum, vel erga alios nimis auſterum videatur. *Idem.*

Ut ſalutem noſtram operemur in mundo, ſatis eſt, quod fideliter ſtatus noſtri officiis perfungamur.

Ne arbitremur ad hoc, ut ſalvi ſimus, Deum a nobis exigere magnas auſteritates, vel quidquam extra communem, vulgatumque ordinem poſitum; veſtrum ſinguli intra ſtatus ſui cancellos facile ſalutem poſſunt invenire. Officia, quæ illis obeunda ſunt, munia, quibus perfungi debent, ſufficiunt, ut in viam Sanctorum ambulent. Negotia veſtra, cura familiarum veſtrarum, filiorum veſtrorum educatio, bonus ordo, quem domi conſtituere debetis ad pacem ſervandam; fortuita conſiliorum veſtrorum perturbatio, inopinatus rerum eventus, qui ſuſdeque veſtra evertit negotia, vobis occaſiones abunde ſuppeditant Deum glorificandi, & voſmet ſanctificandi. Sed quoniam nihil horum facimus niſi Ethnicorum more, videlicet, quia illa Dei intuitu animemus; & aliunde ſequimur propenſionem naturæ corruptæ, & rapi permittimus torrente exemplorum, ac flagitiorum ſæculi; hoc illud eſt, quod parit difficultatem ſalutis in mundo. *Sermo Manuſcriptus.*

Sanctitas ſimul eſſe poteſt cum pleriſque urbanitatis officiis.

Noſtræ religionis laus eſt multiplici via ad Jeſum Chriſtum ſervos adducere. Verum nihilominus eſt, chriſtianam virtutem in ſe conſideratam, ut plurimum, non labi in hos exceſſus, qui a commercio proſcribunt partem eorum officiorum, quæ ad eamdem ſervandam conducunt. Hæc ſtatibus omnibus præſcribit leges, quæ illis ſunt propriæ; hæc omnes homines ad ſalutem adducit per obſervantiam mandatorum Dei, per terrenarum rerum contemptum, per bellum, quod indicit cupiditatibus. Verum cum non obliget fideles omnes, ut in ſolitudine vivant, & ſequantur praxim eorum, qui a ſæculo penitus receſſerunt; non prohibet quidem illis mores, quos bona edocet inſtitutio, & quos vitæ elegantia, & honeſtas poſtulant. Elegantia, exempli cauſſa, affectata, mollis, magnifica, minime deceret Jeſu Chriſti diſcipulum, & læderet humilitatem, & modeſtiam, quam ille profitetur: vero ſequitur ne, illi in lucem prodeundum eſſe inculto, ſordido amictu quaſi ruſticus eſſet, & agreſtis? Nullo pacto. Hic eſſet fortaſſe effectus libidinis inordinatæ, & turpis avaritiæ. Honeſti homines poſſunt, & debent Sancti eſſe. Fortaſſe triſtis, & ferox ſanctitas non ſemper ædificabit: ſanctitas vero nonne ſemper debet ædificare? *Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ conveniunt Chriſtiano.* S. Hieronymus ait: (*Epiſt. 22.*) *In libro cui titulus: Animadverſiones in varia Religionis, ac Moralis argumenta.*

In mundo poſſumus ſanctificari.

Poſt hæc diciſne aliquando tecum, quomodo conciliari ſanctitas poteſt cum mundi impedimentis? Quomodo Sanctum eſſe, & in quibuſdam mundi ſtatibus vivere? Quomodo? Mirum eſt, te adhuc neſcire, cum tua tantum interſit id ſcire; & minime decet te ignorare quod tibi diſcendum, & meditandum erat diebus omnibus vitæ tuæ. Igitur ſtudendum tibi eſt. Reris ſtatum tuum adverſari ſanctitati, & cum ea ſimul eſſe non poſſe. Vehementer erras. Si hoc verum eſſet, quod ſtatum vocas, tibi fieret peccatum & ſine alia ratione de præcepto, ille tibi eſſet relinquendus. Sed quoniam eſt ſtatus tuus, ſicuti ſtatus eſt, ad quem te Dominus vocavit, lædis Providentiam illius, & infers Sapientiæ ejus contumeliam, reſpiciens illum tanquam obicem tuæ ſanctificationi. Nullus in mundo ſtatus eſt, qui non ſit, & eſſe non debeat ſtatus Sanctitatis. *P. Girouſt in Adventu.*

Ineptæ excuſationes eorum, qui putant ſe non poſſe vivere in Mundo ut decet Chriſtianum.

Fruſtra ignaviæ noſtræ certi ejus cauſſam rejicimus in difficultatem chriſtiano ritu vivendi in hac mundi corruptione, ſine ulla religione ſinentes nos trahi hoc torrente iniquitatis, qui omnes fere mortales rapit, & mendoſe aſſerentes, nobis deeſſe vires, quibus reſiſtere valeamus. Si enim accurate nobiſmetipſis invigilaverimus, non Parentum flagitia, non prava educatio, non locus, in quo vivimus, non omnes illæ rationes, quas vulgo præteximus, ut noſmet excuſemus, nobis officere poterunt. Abraham Patrem habebat impium, & idolorum cultorem, tamen paternæ impietatis heres non fuit. Ezechias filius fuit execrabilis Regis Achaz; hoc tamen non prohibuit, quin fieret amicus Dei. Moyſes vixit in Ægypto, & tot Sancti in tot terræ locis, quin virtus eorum minus eſſet perfecta, eo quod illi cum improbris ſemper conſuevere. Inepta igitur, neque unquam a Deo admittenda excuſatio eſt, aſſerere hominem eſſe non poſſe bonum, neque ſe præſervare a ſæculi corruptione, ubi vivat, & jugiter cum illis agat, qui ejuſdem placita ſequuntur, & non aliam habent vitæ ſuæ regulam. *Abbas de Montmorel. Homilia pro ſeptima poſt Pentecoſten Dominica.*

Qui in mundo vivunt Evangelii præcepta ſervare tenentur.

Una ex magnis artibus dæmonis ad eos corrumpendos, qui propter conditionem ſuam vivere tenentur in mundo, eſt fallax perſuaſio, quam alunt, Evangelii præcepta pro illis eſſe tantum, qui religioſam vitam amplexi ſunt, vel qui in ſolitudines conceſſerunt: inquiunt enim, qui publicis fulgent honoribus, vel qui ingenti præſunt familiæ, ac terrenis impediti curis inceſſanter occupati ſunt, quomodo vacare Deo poſſunt, uti oporteret? Curam filiis ſuis conſulendi juxta eorum genus, & conditiones, neceſſitatem eſſe, qua a plurimis diſpenſatur officiis, ad quæ alii tenentur; & hoc pacto ſibi perſuadent, plurima peccata, quæ inter hæc impedimenta committunt, ſibi non eſſe imputanda. Mira illuſio! perinde ac mortales ſeu per conjugium, ſeu aliam ob cauſſam mundo impliciti, minime tenerentur chriſtianam vitam ducere, & Evangelii præcepta obſervare; & perinde ac verum eſſet, aliquem per latiorem viam ambulantem ſanctificari poſſe; vel arctam viam Religioſis dumtaxat, ac Eremitis reſervari. *Ex Morali in Pater Noſter.*

De neceſſitate fugiendi proximas peccandi occaſiones in mundo.

Hæc moralis eſt, & maxime neceſſaria, & naturæ corruptæ difficillima. Quot occaſiones in vita, ubi nihilominus eam ſequi omnino neceſſe eſt? Patronum habes, cujus gratia nites, ac fulges: patrocinium cujus noxiis aſſentationibus tibi comparas: hic oculus eſt eruendus. Famulum habes tibi neceſſarium, conſanguineum tibi in neceſſitatibus opitulantem, amicum quo nullum habes in vita cariorem; ſed ſi eorum ſervitus, conſuetudo, mores afflant cordi tuo contagionem, jam tot manus ſunt tibi abſcindendæ. Implicitus es in eo munere, profeſſione, magiſtratu, ex quo omnis tibi ſuppetit alendæ familiæ tuæ ratio, & ſine quo in mundo verſari non vales. Verum muneris hujus exercitatio, hujus profeſſionis officia, hujus magiſtratus functiones ſimul eſſe non poſſunt cum ſalute tua; hic omnino pes eſt, quem obtruncari jubet Evangelium. Bone Deus! quænam vis nobiſmet inferenda! quot ſuſtinendi dolores! quot obices ſuperandi! homo tot conatibus parne eſt? Haudquaquam, Domine, ſine ope gratiæ tuæ; quam tamen negas nemini ſincere petenti, ac ferventer inquirenti. *P. la Neuville in Morali novi Teſtamenti Tomo 3.*

Idem ſequitur argumentum.

De mundo es, inquis. Heu! hoc fortaſſe crimen tuum eſt, & in excuſationem affers. Patria tua eſt in cælo; tu autem terræ vis inhærere. Concivis Sanctorum es, & in corruptione habitas. Chriſtiano, qui cælo deſtinatus eſt, quocumque in ſtatu, qualibet in profeſſione verſetur, nonniſi propter Cælum vivendum eſt. Corpus ejus ſequi debet motus animæ ipſius; & ibi eſſe oportet cor, ubi ſpiritus eſt. In mundo quidem eſt, ſed vivere non debet propter mundum. Ne dixeris quod olim S. Chryſoſtomo dicebatur: Igitur ut quis ſe ſanctificet, inter clauſtra confugiendum eſt. Quid? Num ſui ipſius abnegatio, injuriarum oblivio, temperantia, moleſtia, humilitas, animus a terrenarum rerum affectu alienus, virtutes ſunt tantum Clauſtrorum? Si ut quis in mundo vivat, ab illis diſpenſandus eſt, dicendum eſt, viventem in mundo chriſtiani qualitatem exuere. *Sermo Manuſcriptus.*

Quid ſit honeſtus vir ex mundi ſenſu.

Quid eſt honeſtus homo ex mundi ſententia? Ille eſt, qui cum honore fortunam tueri novit, qui ſuo perfungitur munere, qui conditioni ſuæ decentes ſumptus erogat, qui amicis ſuis gratificatur, qui in iis, quæ ad Religionem pertinent, ſedulus, & fidelis eſt: modeſtus in verbis, ſincerus in factis; amicus bonus, & commodus in ſocietatibus; præſertim vero expers avaritiæ, pertinaciæ, levitatis, & infidelitatis. Hæc enim, præter propter, vitia ſunt honeſto viro magis oppoſita; & virtutes, quæ ad illum efformandum quamplurimum conferunt. Hæ qualitates omnes Chriſtiano viro minime adverſantur. Licet in honeſto homine duas tantum qualitates admitteres, ſinceritatem, & generoſitatem, hoc mihi ſatis eſſet ad refutanda, & damnanda vitia omnia, de quibus homines mundi hujus (æquo liberiores, & impios intelligo) gloriantur; quæ tamen in aliis condemnant, ac in corde ſuo vituperant, & quæ pati nullo pacto poſſunt iis, in quibus ſenſus viget, & ratio. *P. Ruæus.*

Difficile quidem in mundo ſanctificari poſſumus quia nobiſmet vim faciamus.

At enim, quæ crux, quis labor eſt, regularem eſſe Chriſtianum in mundo! Quæ difficultas placere Deo, & hominibus, ac ita ſuæ profeſſionis officia cum illis Religionis componere, ut in neutris deficias! Difficile ſane, & arduum eſt: Sed quoniam ſtatum hunc elegiſti, & ad hunc te Providentia evocavit, & ſuppetunt tibi gratiæ ad hæc obeunda officia neceſſariæ: quæcumque adſit difficultas, tibi ſuperanda eſt, & omnes humanæ rationes vincendæ. Sed iterum dicam, ſi hoc eſt difficile, putaſne, te ſanctificatum iri, quin ullam tibimet vim afferas? Ubinam hæc crux eſt tibi in Mundo æque ac in Religioſo ſtatu ferenda? Hæc eſt ut te ad hanc vim inferendam tibi redigas. Crux iſta tibi dura videtur, ſed ſi contuleris hanc cum illa, qua onerat Deus tot Eccleſiaſticos, tot mortificatos cœnobitas illam patienter geſtantes, fateberis tuam longe ſuaviorem eſſe. Quæ enim tandem hæc eſt comparatio crucis tuæ cum cruce illorum? Tua abſcondita eſt; Deus unus videbit illam: Deus unus teſtis erit illius: beati, qui cælum tam vili pretio mercari poſſunt; beati, qui in cælo, & in terra eſſe poſſunt beati. Verum ſi ſalutaribus his animadverſionibus uti recuſas: ſcias nullam tibi in die noviſſimo

mo excuſationem futuram. Quereris de ſalutis tuæ difficultate; quid vis a Deo fieri, ut eam tibi præbeat faciliorem? Non ne tibi longe difficilius eſſet illam in miſeria, & paupertate operari? Ad hanc te redigere noluit Deus, & nolles ipſe tibi vim facere eo in ſtatu, in quo te ille conſtituit. *P. de la Rue.*

Ratio propter quam plerique Chriſtiani ſalutē ſuam non operantur permanentes in mundo.

Cauſſa propter quam Chriſtianorum plerique non explent ſuæ profeſſionis officia, neque ſe ipſos ſanctificant eo in ſtatu, in quo illos Providentia conſtituit; hæc eſt quod non ſolum mundi corruptionem non fugiunt, ſed quod ſollicite ſe ſe in eamdem immergunt magis, quam illis permittit Deus. Hac mente illi ſibi comparant honores, ambiunt magiſtratus, quin ad examen vocent, utrum ad illos vocentur a Deo, & utrum ipſi iis polleant viribus, quæ ad onus illud digne ferendum ſufficiant; & quin aliquem conſulant, niſi homines cupidos, & ſuis conſiliis faventes. Tanto huic malo non alia ſupereſt medicina, quam, ſi fas eſt, abdicare ſtatum, quem injuſſu Dei ingreſſus es, tunc vero præcipue, ubi in eo lapſuum occaſiones inveniuntur. Nam ſi malum eſt ſe ſe illi implicuiſſe, multo pejus eſt in eo velle perſiſtere; & niſi te velis periculo objicere interitus; ſola ratio reparandi noxam, eſt ex eodem ſtatu quam primum emergere. Quod tamen intelligendum non eſt de quibuſdam ſtatibus laborioſis ac licitis; ubi optime cum agendæ patientiæ neceſſitate conſentiunt. *De Sancta Martha Tomo 2. Tractatu primo de Mundi fuga.*

Quid faciēdum illis, qui impliciti ſunt in periculoſa conditione nec illam relinquere poſſunt?

Quoad illos qui in periculoſa quapiam conditione impliciti ſunt, ex qua ſe ſe neſciunt expedire, hi ſibi perſuadere non debent, ſe verſari in abſoluta impotentia ſalutem ſuam operandi, aut vivendi, ut veros decet Chriſtianos. Lacrimis eluendus eſt error, in quem lapſi ſunt, ſemet implicantes in tale vitæ genus temporalem dumtaxat utilitatem ſuam conſulentes; orandusque Deus eo magis, ut ipſos liberet ab iis, quibus ſepti ſunt tentationibus, quod cum illas evitare non poſſint fuga, redactos ſe vident ad neceſſitatem illas vincendi, vel ut vincantur ab illis: ſperandi locum habent fore ut cum illis miſericordia ſua utatur Deus, ſi nihil prætermiſerint, ut illius obſequantur imperiis. *Idem.*

In mundo vivere poſſumus ut decet Chriſti fidelem.

Utile quidem eſt, non autem omnino neceſſarium, ut Chriſtiano ritu vivamus, & noſmet ſanctificemus in deſertum confugere, aut ſe intra clauſtra concludere. Quemadmodum Iſraelitæ vixerunt inter Ægyptios, quin idola colerent, vivere poſſumus in mundo, quin mundani ſimus. In hoc Dei Providentia eſt æque amabilis & adorabilis, quod in quolibet ſtatu, & in qualibet conditione dederit nobis tot ideas ſanctitatis, quot opus erat, ut componeretur hæc myſtica varietas, qua Jeſu Chriſti Sponſa, Eccleſia nempe, juxta Prophetam, amicta eſt. Ideo oblectatus eſt Deus efformare Sanctos in iiſdem ſtatibus, in quibus plures difficultates ſanctitati ſuperandæ fuiſſe videntur; prodigia humilitatis in ipſo Regni ſolio; auſteritatis in ipſis deliciis, collectionis, & vigilantiæ in ſemet uſque inter negotiorum impedimenta, & temporalium curarum tumultus; & denique per ſecretum prædeſtinationis, quod ſatis nunquam admirari poſſumus, nunquam voluit vel unam eſſe in mundo profeſſionem, earum videlicet, quæ per leges licitæ ſunt, & quæ bonis moribus non adverſantur, quæ non haberet Sanctos in cælo, & in terris tanquam tales ab Eccleſia recognitos, & probatos. *P. Girouſt Sermone de Sanctitate.*

Error eſt putare, nos in mundo ſanctificari non poſſe.

Vehementer errat, qui credit, in mundo inveniri conditiones, & ſtatus ex illis, quos Providentia pro ſocietate conſtituit, quorum officia cum Chriſtiani hominis officiis ſimul eſſe non poſſint. Mortalium illuſio, qui ignorant Chriſtiani hominis officia, & officia hominis in mundi luce viventis, & qui duplex ſibi comminiſcuntur phantaſma earum rerum, quas ab altero quidem Chriſtiana religio, ab altero vero mundus requirit. Tantum abeſt, quod Chriſtiana religio aliquid petat ab homine, quod ejus profeſſioni adverſetur, ut ſingulis perfungi officiis profeſſionis ſuæ, ſemper primum illud ſit, quod ſingulis vera Jeſu Chriſti religio præſcribat. Ita cum nobis perſuaſum eſt, nos nobiſmet confingere aliquod phantaſma earum rerum, quas poſtulat Chriſtianiſmus, nobiſmet perſuademus, nos ſaltem nobis fingere ideam æque fallacem rerum earum, quas poſtulat mundus. Quæſo enim, cui grata ſunt pleraque eorum, quæ facitis mundo placituri? Laudat ne mundus ſumptus veſtros inſanos? Mundus probat ne immenſos ludos veſtros? Per commercia veſtra in mundo conſtitutum eſt meritum veſtrum? Mundus ita cæcus non eſt, ut laudet ſumptum, qui domum veſtram evertit. Deus quidem, & mundus non ſemper conſentiunt, & avertat Deus, quod utriuſque placita conciliare audeas. Sed quin illa concilies, ſcias, te vivere poſſe, ut honeſtum hominem decet, & in mundo optime audire: ſcias te in hujuſmodi placitis, poſſe, non ſecus ac multi fecerunt, mundi rationem redarguere, & mundi approbationem mereri, damnare mundi flagitia, & mundi benevolentiam adipiſci, mundum contemptibilem reddere, & illius obſequia tibi conciliare. *P. Aurelianenſis in Sermone Sanctorum omnium.*

Quid faciēdū ſit illis, qui in mundo impliciti ſunt, neque illo pacto ſe inde explicare poſſunt,

Sunt, qui licet inviti, in mundo permanere debent per inevitabilem neceſſitatem, veluti uxores, quarum viri vel propter dignitates ſuas, vel propter negotia ſua, mundo inhærent, vel alii per ſuam conditionem, quæ illos adnectit operibus, artibuſque, unde familiæ ſuæ neceſſitatibus proſpiciant. Si mortales hujuſmodi pie vivere volunt, in ipſo mundo quærere debent arctam etiam, extra quam nulla ſalus, & ſperare fore ut Dei ope illam inveniant, dummodo ſibi in gemitus cauſſam convertant, quod aliorum gaudia conſtituit; & reſpicientes oculis fidei vanitates, & pompas ſæculi, has condemnant, oderint, exhorreant. Opus eſt, ut in ipſa mundi luce ſolitudinem ſibi ædificent, quam ſibi re ipſa ædificabunt, cum aliter vivent a ſectatoribus mundi, & cum alias habebunt exercitationes, atque conſilia eorum conſiliis oppoſita. Quod ſi labori vacabunt, cum alii otiantur, ſi cupiditates ſuas impugnabunt, ſi mentem admovebunt, ut Deum precentur, & audiant, cum alii tempus traducunt in inutilibus converſationibus, vel obtrectationibus: denique ſi nihil intentatum reliquerint, ne fiant iniquitatum ſæculi participes: Deus, qui omnipotens eſt, divinis luminibus ſuis illos illuſtrabit; illi in infelici Ægypto hac ſemet ſanctificabunt, ibique ſuam ſervabunt integritatem. *De Sancta Martha T. 2. tractatu primo de mundi fuga.*

ut ibi Chriſtiane vivant.

Bona fovere deſideria ſatis non eſt ad Chriſtiane vivendum.

Mundus plenus eſt optimis deſideriis; & pauci mortales inveniuntur, qui in peccatis ita occaluerint, ut aliquando ſe, ut Chriſtianos decet, vivere velle non profiteantur. Sed ſi cum hujuſmodi deſideriis mollem, laxamque vitam ducunt, quin aliquid conentur illinc evaſuri, argumento eſt, illos intus & in corde Chriſtianos non eſſe, neque pares bonis effectibus proferendis. Sed cum miſericors Deus illi vera injicit deſideria vitæ recentis, ſemper vires etiam ſuppeditat ad illa adimplenda. At cum his deſideriis permanere in pernicioſis, vel ſaluti ſuæ periculoſis nexibus, vel ſemper in tempus differre viam melius inſtitutam, hoc ſane non eſt ſincere ſuam quærere ſanctificationem; ſed qui hoc fecerit ſeipſum fallere, & inania illius eſſe vota, ac deſideria. *Idem.*

Non eſt impoſſibile illis, qui in mundo impliciti ſunt ſervire Deo eique fideles eſſe.

Igitur eſtne impoſſibile illis, qui in mundo impliciti ſunt, ſeſe convertere ad Deum? Haud ita profecto, modo in mundo manentes utantur rebus hujus mundi, quaſi non uterentur; modo ſine affectu iiſdem utantur tanquam ſolatiis præſentis miſeriæ, quibus utendum eſt, non autem perfruendum, & quæ ingentia mala ſunt abutentibus. Vobis mente repetenda ſunt ea, quæ dicit Apoſtolus, mundi hujus figuram præterire. Si enim illis aliter uſi fueritis, in perditionis ſtatum incidetis: & quantumvis tuta in ſpeciem videatur via, quam ſequemini ad Deum profecturi, illam lubricam, ac tenebris coopertam experiemini. *Via illorum tenebræ, & lubricum. Sermones Chriſtiani pro Dominica quarta poſt Paſcha.*

Sanctus N. jam ætate provectior vivendi licentiam deſerit, quæ in nobilibus adoleſcētibus communis eſt.

Magnus ille Sanctus manifeſta præbuit fidei ſuæ documenta jam provectior ætate: ætate, qua omnes illi ferme, qui nobile genus cum opibus ſortiti ſunt, ruunt in magna flagitia, & obſcœnas voluptates: ætate, qua vix excuſſo magiſtrorum, & Collegiorum jugo, quod ſervitutem putant, ſe ſe abdunt flagitioſæ licentiæ ſub ſpeciem honeſtæ libertatis: ætate, qua cupiditatum æſtu inflammati, præſentia objectorum, quibus plurimæ inſunt illecebræ, irritati, rapti torrente pravæ conſuetudinis, pravorumque exemplorum, ſe ſe præcipites agunt in horrentem ſcelerum omnium colluviem: ætate nihilo ſecius, qua N. ſurſum illuſtratus, & ſalutari timore perculſus in id operam intendit, ut voluptatum, & vitiorum diluvio arcam minime perviam ædificaret: *Aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ*: (*Hebr.* 11.) ætate demum, qua pietate, & vigilantia damnavit impietatem, & evagationem; temperantia, & mortificatione mollitiem, & luxuriam: humilitate, & eleemoſynis ſuperbiam, & avaritiam mundi: *Per quam damnavit mundum.* (*Ibidem.*) Unice intentus pretioſæ hereditati comparandæ, juſtitiæ videlicet juxta S. Pauli locutionem, quæ oritur ex fide. *Et juſtitiæ, qua per fidem eſt heres inſtitutus.* (*Ibidem.*) *Elogia hiſtorica Sanctorum*, *Tom.* 1.

Laicis æque ac Eccleſiaſticis, & Religioſis cōtendendum eſt, ut ſemet ſanctificet.

Generalis neceſſitas non Eccleſiaſticos, & Regulares tantum, verum etiam laicos urget, ſemet ſanctificandi, relinquendi ſpiritum mundi, Deum ita amandi, ut præſto ſint ad ſacrificandum illi quidquid bonorum eſt, conſanguineorum, amicorum, ac ſemetipſos, perinde ac hæ res vel nullo habendæ in diſcrimine eſſent, vel in odio etiam habendæ. Sed quotuſquiſque in ſæculo hanc intelligit veritatem, vel ad eam advertit animum, ne dum in praxim redigat? Vix in Religione, & Clero videntur, qui ad hanc a rebus omnibus abalienationem perveniant. Quid igitur erit de mercatoribus, opificibus, & plebe univerſa? Apoſtolorum ævo non deerant in Eccleſia multi infirmi, & imperfecti, qui nutriendi erant lacte velut infantes, & quibus ſolidum præbere cibum non audebant. Veſcebantur tamen quotidie pane vitæ, & jugiter illis ob oculos magna obverſabantur virtutum exempla. Quinam fervor, quinam zelus Chriſtianæ perfectionis! Ergo ſperamus ne in hac corrupti ſæculi lue, ubi rara ſunt exempla, & ubi plerique ſemel in anno communicant, laicos perfectionis ſtudioſos inventum iri? *Ex Opuſculis Bellarmini*, *Tomo* 3.

Sectatorum mundi vita Evangelicis placitis oppoſita.

Ad quid quærenda ſunt argumenta, ut oſtendamus nihil magis Evangelicis placitis adverſari, quam vita ſectatorum mundi? Nonne videmus cædes, latrocinia, furta, ſacrilegia, adulteria, perjuria, calumnias, fraudes, injuſtitias, quæ ubique graſſantur, quin loquar de luxu, vanitatibus, aliiſque dæmonum operibus, quibus quilibet Chriſtianus ſollemniter in baptiſmate ſuſcipiendo abrenuntiat? Eccleſia celebrat memoriam plurimorum Sanctorum Epiſcoporum, Sacerdotum, Regularium; ſed admodum pauci ex laicis ſunt, quos in Sanctorum albo recenſeat; & exceptis Martyribus, hiſtoria ſingulos, aut binos in qualibet inſigni Provincia memorat. Hoc ipſo tempore complures memoramus Præſules, ac Religioſos Sanctorum Catalogo adſcriptos; & plures adhuc ſunt, qui

virtutibus, & miraculis inclaruere eodem honore digni, ſed de Sanctis laicis, nullibi fit ſermo. *Idem.*

Sanctus N. ſāctificatus fuit in aula, & in magna mūdi luce.

Licet S. N. hoc præſtitiſſet unum, quod ſeipſum in magna mundi luce, & ipſa Aula ſanctificaſſet, ſemper ſatis operatus fuiſſet, ut noſtra mereretur elogia, & omnibus afficiendus eſſet honoribus, quibus eum colimus. Spiritus S. non poſtulat tantum, ut ore proprio hominis celebret laudes. Date mihi, ait ille, hominem, qui legem violare potuerit, & illam non violaverit; qui peccare cum poſſet, non peccaverit; hunc ego laudibus proſequar, quippe magna miracula operatus eſt: *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua.* (*Eccli.* 31.) Hoc poſito, quibus laudibus cumulandus fuit a Spiritu Sancto inſignis ille Sanctus, quem colimus, cum noverit in mundo omnem clauſtrorum ſanctimoniam tueri, & in Aulæ fulgore nihil de Monaſterii amiſerit innocentia! Mundi hujus aer ſemper periculoſus eſt, verum dicere poſſumus, nullibi magis tabeſcere, quam in Aula. *Sermo P. Aurelianenſis*, *Tomo* 2.

Sanctus N. ſemer ſanctificavit geſtans Domini jugum ab adoleſcentia.

Si honor parentum eſt filios ad virtutem, ac Dei timorem informare; bonum quoque Filiorum eſt ſequi ſalutaria præcepta, quibus a Parentibus ſuis imbuuntur: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Bonum eſt.* Magnum proculdubio bonum eſt; quippe innocentiæ jactura malum eſt irreparabile. *Bonum eſt.* Magnum profecto bonum eſt, nam pravus habitus ab adoleſcentia contractus, malum eſt vix, & ne vix quidem curabile. *Bonum eſt.* Intereſt enim, quam diluculo manum admovere negotio tanti momenti, quale eſt ſalutis noſtræ negotium. Quantumvis parum viator initio ſui itineris aberret, error illius in infinitum ſemper augetur. *Bonum eſt.* Magnum eſt bonum, ſi enim juvenis adhuc diem obit extremum, brevi ſeipſum ſanctificaſſe gaudebit, ſi diutius vixerit, virtus illi erit facilior, vita ſanctior, & mors pretioſior. *Bonum eſt.* Magnum bonum eſt ſi illum ſervaſti, benedic Deo, ut S. N. cujus hodierna die memoriam colimus; at ſi illius jacturam paſſus es, elue præteritas noxas, eaſque per pœnitentiam reparare contende: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine.* (*Pſal.* 24.) *Meditatio P. Nevet*, *Tomo* 7.

Sanctitas nō in eo ſita eſt ut ea facias, quæ nitent, ſed communia regulariter.

Æternitatis noſtræ felicitas ex vitæ noſtræ ſanctitate pendet; ſanctitas vitæ noſtræ pendet ex vitæ noſtræ regimine; & regimen vitæ noſtræ a regimine dierum ſingulorum. Cum enim vita noſtra non ſit aliud, quam ſeries ſingulorum dierum illam componentium, dicere poſſumus, quod ſingulos dies ritu Chriſtiano dirigere, ſit dirigere, & ſanctificare totam vitam ſuam, & beatam æternitatem certam facere. Non ſatis eſt bonum facere, ſed bonum bene faciendum eſt. Bonum fieri poteſt oſcitanter, ex mero ingenii impetu, ex conſuetudine, ex neceſſitate, & ob humanas cauſſas. Hoc pacto bonum operari, idem eſt ac non operari illud; quia hoc non eſt illud facere eo modo, quo faciendum eſt. Vitæ ſanctitas plerumque ſita non eſt in eo, ut ea, quæ extra ordinem ſunt, & mira facias. Sanctificari potes communia tantum faciendo, ſed non faciendo illa modo communi. Hæc una eſt inter ſolidiſſimas chriſtianæ praxeos rationes: hoc magnum eſt aſceticæ vitæ ſecretum, ſed ſecretum, quod non aperit Deus niſi animabus humilibus, & fidelibus. Quid eſt hoc communia modo non communi facere? Eſt facere illa intentione pura, ferventer, & ordinate. Plures plura faciunt opera bona; ſed inordinate, & ſine regula; ipſum autem bonum, cum inordinatum eſt, eſtne verum bonum? Vitium vulgatiſſimum eſt devotorum, ex mero ingenio operari. Hodie bonum faciunt, quia ſeſe ad illud ferri ſuopte ingenio ſentiunt; cras illud minime faciunt, quia illius faciendi libidine non aguntur. Quadam die nimis; alia vero non ſatis operabuntur; & hoc pacto dies una ut plurimum deſtruit multarum hebdomadarum laborem. Si manu altera diruatur, quod altera ædificat, Sapiens ait, quomodo conſurget ædificium? Hæc agendi ratio leves, & inconſtantes prodit nonnullos pios viros, qui pietati ipſi labem inferunt, & ab eadem avertunt eos, qui illam vellent amplecti. Nihil magis veræ pietati adverſatur, quam inæqualis vitæ ratio ſibimet minime conſtans; nihil autem magis ad illam conducit, quam vita ſemper ſibi conſtans, & ſimilis: quia hæc iis fulcitur principiis, quæ nunquam nutant, ratione videlicet, & fide. Noſtra in pietate inconſtantia nonne inde proficiſcitur, quia non agimus ſecundum hæc eadem principia? *Pater Nepveu, in Chriſtianis Animadverſionibus.*

Ut ordinate vivamus jugiter Dei voluntas nobis eſt inſpiciēda.

Attentio ad Dei voluntatem nos in vita frugi, æquali, & uniformi continet, & efficit, ut cum fide eadem exercitia, iiſdem temporibus peragamus. Cum enim pro ſcopo habeat ſequi Deum; merito judicat ſe futurum magis illius voluntati conformem inſtitutum ordinem ſequendo in rebus, quæ nullo ſunt in diſcrimine, quam ſi illum ex animi ſtudio, ac libidine derelinqueret. Quo minorem in rebus partem habemus, eas facientes, credendi locum habemus, nos Deum ſequi, & ea quæ per ſe æqualia ſunt ac neutra, fiunt inæqualia, & bona, cum illis accedit quædam ratio uniformitatis in iiſdem exercitiis. *Ex Specimine Moralium.*

Sanctus N. ſemper ſanctam duxit vitam in mundo.

Nunquam Sanctus hic vir otiari videbatur, nunquam ſolatiis indulgere ea ætate, qua viri nobiles ſeſe reficere conſueverunt; & ſicuti de Jeſu Chriſto narratur, qui ſæpe lugere viſus eſt, ridere vero nunquam, (licet non deſint riſus innocui,) ita in hoc Diſcipulo, veroque Jeſu Chriſti imitatore notatum fuit, nullum unquam ludum licet innocuum luſiſſe. Parum eſt dicere illum a voluptatibus abſtinuiſſe: pœnas, doloreſque amplectebatur, & præter communes pœnitentias, alias omnibus in occaſionibus exercebat. Cupiebat enim cum oratione mortificationes conjungere, & huic inhærebat principio, quemadmodum per crucem omnia ſumus adepti, ita per illam, & cum illa nobis omnia eſſe obtinenda. Attamen in illius faciem non prodibat auſtera hæc ſeveritas, quæ efficit, ut homines non ſine terrore videant devotionem, quæ nonniſi ægre quidquam Deo dare videtur. Aſpectus ejus ſuavis erat, & gratioſus, ſermo autem Dei ſpiritu repletus, ſed eo Spiritu, qui ſecum affert pacem, & ſuavitatem: atque inter majeſtatem, quæ in illius facie nitebat, dulcedo Angelica emicabat, quæ quadam non carebat illecebra, & quæ divinis rebus amorem æque ac reverentiam conciliabat. *Ex vita Cardinalis de Berulle*, *Lib.* 1.

Nihil potuit S. N. a J. Chriſto ſeparare.

Licet Sanctus hic vir pluribus afflictatus fuerit morbis, licet ei plura ingredienda fuerint itinera, licet aliquando mari diutius iter illi fuerit obeundum: nunquam vel corporis infirmitas, vel in negotiis agendis diligentia, vel itineris labor illum divina hac gloria privare valuerunt, neque unquam illum ſeparare potuerunt non dicam a Caritate, & gratia Jeſu Chriſti, ſed neque a caritatis actibus, qui matutinas horas abſumebant omnes, videbatque ſe redactum inter illecebras Dei ſui ipſum vocantis, & inter minas hominum vetantium, ne tandiu jejunus fatigaretur. Sed quæcumque illi impenderent, vel re ipſa illum urgerent incommoda, fames animæ, quæ in ardoribus ſuis eſcam flagitabat, ſemper corporis neceſſitatem ſuperabat. Licet tot premeretur infirmitatibus, audebat, & poterat omnia in eo, a quo confortabatur. *Ex vita Cardinalis de Berulle.*

Nobiles, qui ſe ad Deum convertūt majorē habēt præ ceteris ad cælum adquirendū facultatem.

Cum nobiles ſe convertunt ad Deum, ea habent privilegia, quæ reliquis deſunt. Plus habent rationis, plus cordis, plus pietatis, plus magnitudinis animi; ſenſus habent digniores de Chriſtianæ Religionis majeſtate, & melius dignoſcere callent regulas officii ſui. Quid magis ædificat, quam pietas quarumdam Fidelium Matronarum? Nonne in aula quoſdam Principes viros ſuſpicimus, qui zelotes Eremitas ipſos rubore ſuffunderent? In exercitu videntur imperatores, & duces Centurioni illi ſimiles, de quo Jeſus loquens teſtabatur, ſe non vidiſſe tantam fidem in Iſrael. Si laborioſæ vitæ vocabulo illam intelligimus, in qua ad virtutem exercemur, inutile eſſet aſſerere, nos in illa Cælum poſſe promereri; hoc enim eſſet dicere, nos merendo mereri poſſe. Sed ſi illam intelligimus, quam plebej, & pauperes ſuſtinent in aſſiduis laboribus, fatendum eſt in illis pauciora vitia, quam apud Nobiles inveniri. Domine, unus tu ſcrutaris hominum renes, & corda: ſed dicere audeo, in ſingulos, qui in magna mundi luce ſalvantur, centenos eſſe in imis, obſcuriſque conditionibus, quorum miſereris. Hi vitæ huic non adhærent affectu; hi ſe falli non ſinunt illecebris inertiæ, quæ non vacat periculis; hi bona fide Evangelii credunt veritates; hi ad audiendam Evangelicam prædicationem accedunt, ex ſola proficiendi cupiditate. Et cum S. Auguſtino dicam, dum eruditi cum præclaris ſuis eruditionibus damnantur, pauperes, & plebs cum ignorantia ſua Cælum rapiunt. Hoc pacto Sanctus iſte Cæli coronam adeptus eſt, poſtquam fideliter Jeſu Chriſti mandata ſervavit. Cælum erat hereditas illius, domus ejus erat, quemadmodum erit & noſtra, ſi legere voluerimus ejus veſtigia, & ſequi exempla. *Dictionarium Morale*, *Tomo* 1.

De communium actionum perfectione.

Noſtra ſecundum Deum perfectio nequaquam in eo poſita eſt, ut multa faciamus. Hic error fuit Marthæ, quam Jeſus Chriſtus corripuit. Neque in eo ſita eſt, ut magna facias. Non deſunt Sancti coram Deo maximi, qui nihil magnum fecerunt unquam propter Deum: Sancti, vita quorum obſcura fuit, & abſcondita, quorum actiones nihil fulgoris, ac lucis habebant, & de quibus Mundus locutus non eſt. Magni erant per ſanctitatem; ſed tota eorum ſanctitas in modicis rebus continebatur; & Deus efficiebat ut in ea fidelitate, qua hæc modica operabantur, infinitos gratiarum theſauros invenirent. Magni erant per humilitatem; & humilitas impellebat eos, ut ſibi abjectiſſima quævis depoſcerent munia, & aliis relinquerent illa, quæ magis nitebant, cenſentes ſe minime pares, ac dignos eſſe, quibus hæc mandarentur. Denique perfectio noſtra non flagitat, ut mira, & ſingularia faciamus. Ex quo ſunt ſingularia, & admirabilia, rara ſunt, & eorum occaſiones non ſunt adeo frequentes. Attamen in eo eſſe debet perfectio noſtra, quod nobis magis eſt habituale, & quod ſæpius nos obligat: in eo quod jugiter nobis præ manibus eſt, in eo quod replet dies, & annos vitæ noſtræ. Hinc ſequitur eam perfectionem, ad quam nos Deus vocat, in vulgatiſſimis actionibus noſtris conſiſtere. Quia hæ ſunt actiones propriæ profeſſionis noſtræ noſtriquæ ſtatus, ideoque illæ ſunt, quas peculiariter a nobis exigit Deus; neque enim per gratiam ſuam in hunc ſtatum, & profeſſionem nos adduxit, niſi ut ibi viveremus, & ageremus ſecundum ordinem ibi conſtitutum ab ipſo. Alioquin certum eſt voluntatem Dei, cauſſam eſſe effectricem noſtræ ſanctificationis; ſine qua Dei voluntate præcipuæ actiones noſtræ nihil ſunt, & cum qua affectiones etiam minimæ maximum meritum habent. Hinc igitur inferendum eſt Sanctum hunc virum coram Deo ad ſummum perfectionis apicem evaſiſſe per maxime communium officiorum ſuorum complementum. Quid egit J. Chriſtus annos triginta? Nihil inſigne in Mundi æſtimatione; & nihil non humile,

& abjectum in oculis hominum; ſed eo quod faciebat voluntatem Patris ſui, quia in omnibus ſe gerebat, ut ipſe ait, ſecundum Patris ſui beneplacitum: actiones illæ humiles, & abjectæ in oculis hominum erant objectum, in quo Deus ſibi complacebat. Ita S. N. nactus eſt perfectionem ſuam in quotidianis exercitationibus, officiiſque, ita ut vere affirmare poſſimus, totam illius vitam vitæ Jeſu Chriſti fuiſſe conformem, quam videlicet geſſit per annos triginta, quibus abſconditus erat hominibus. *Receſſus Spiritualis P. Bourdaloue.*

Benedictiones quibus Deus ſanctũ hunc hominem cumulavit ut illum attraheret ad ſe.

Prævenit Deus Sanctum hunc virum in benedictionibus dulcedinis, quas nonnunquam effudit in animas Electorum ſuorum, ut eorum exemplo alios ad pietatem perducat. Hæc animæ bonitas, qui fructus eſt feliciſſimi hortus; hæc monita caritatis, quæ ſuggerit gratia, ubi cor docile nanciſcitur; hi labores propter Deum ſublati; fidelitas hæc in miniſterio ſuo; hæc patientia in injuriis hauriendis; hic ſpiritus paupertatis in divitiarum poſſeſſione; hæc puritas in hominum commercio, humilitas ejus inter delatos ſibi honores, ejus abalienatio a mundo in mundi ipſius luce, in illo non ſolidas tantum, ſed nitentes virtutes affinxerunt. Vixit, ut fideles antiqui in ſublimium virtutum praxi, docuit horum temporum fideles vitam communium virtutum praxi traducere; prioribus illis comparandus, imitandus vero poſterioribus ſe ſe extulit ad illorum virtutem, & ſe horum infirmitati ſubjecit, & ope Spiritus hujus Omnipotentis, qui aliter in ſæculis aliis operatur, nobis reliquit imaginem vitæ, cum veteris, tum novæ, & ſuo docuit exemplo, vitam traduci poſſe ſecundum ſæculi præſentis conſuetudinem, ſimulque integram ſervari poſſe primorum Eccleſiæ ſæculorum ſanctimoniam, & perfectionem. *Ex Specimine Panegyricorum. Tomo* 1.

Sancti hujus viri Sãctitas omnibus in rebus fulgebat.

Magnus hic Sanctus quamdam univerſalis ſanctitatis ſpeciem invenit, & viſus eſt habere Spiritum pœnitentium, Religioſorum, & Apoſtolorum; ſemper admirabilis in ordine communi vitæ ſuæ, ſemper perfectus in hoc, quod nullam peculiarem perfectionem affectavit, ſemper ſingularis, quod nullam amavit ſingularitatem; & quod in communi vita nunquam prætermiſit exercere maximas, maximeque ſublimes Chriſtianæ Religionis virtutes. Plures quidem puritate vitæ illum exæquarunt, quamvis ſemper integerrime ſervarit Baptiſmi ſui innocentiam. Alii zeli ardore pares illi fuerant, quamvis prope infinitum animarum numerum Deo fuerit lucratus: alii in patientia, quamvis ſcientiæ hominis perfecti pueri docilitatem adjecerit. Sunt qui illum in divitiarum contemptu æquarunt, licet omnes reditus ſuos in pauperum ſinum effuderit; ſed quis unquam par illi inventus eſt in hac conſtanti, & uniformi praxi officiorum Chriſtianorum, licet in jugi occaſione diſtractionum uſus fuerit ſæculo in ſæculi centro, quaſi non uteretur juxta S. Pauli conſilium. In ſpectatiſſimis honoribus ac oneribus ſe ſe collegit, & delituit: interiorem & ſpiritualem ſecum geſſit ſolitudinem; in ipſas converſationes, & cœtus: & fecit ea omnia, quæ facimus, ſed modo longe alio ab eo, quo ipſi ea facimus. *Ex Specimine Panegyricarum Orationum. Tomo* 1.

Vita primorũ fidelium, quam S. N. in terris imitatus eſt.

Primorum Chriſtifidelium ævo inventi ſunt, qui inter ceteros eximium gradum ſervarunt, de illis loquor, qui ut Deo perfectius adhærerent, ſervarunt continentiam, ſive in conjugali ſtatu, ſive in ſeparatæ vitæ libertate. Plures ab ortu Chriſtianæ Religionis inveniuntur, qui puritatis ſuæ fulgore inter fideles ceteros renidebant. Vivebant ſemper ſeorſim ab aliis in Mundi contemptu, & oblivione: urbes illis erant ſolitudines, & domus ſepulcra. Sacra Scriptura tota erat mentis eorum occupatio, & jejunium ſuæ ſanctitatis præſidium. Plures ex illis poſtquam ita in receſſu ſe ſe roboraverant, palam exercebant privatæ profeſſionis ſuæ miniſteria. Quæret fortaſſe quiſpiam, utrum inter primos fideles vitia invenirentur, & utrum eſſent aliqui, vita quorum contumeliam inferret nomini, quod gerebant. Fatendum eſt non defuiſſe tunc temporis peccatores; ſed adfuiſſe quoque ſeveriſſimas pœnas, rigidaſque pœnitentias, quarum memoria ſaltem nobis eſt retinenda in praxeos illius relaxatione. *Auctor Recens.*

Vera media cælum ſibi comparandi pauperibus opem ferẽdo.

Opes ſunt inſtar pecuniæ, cum qua Cælum comparari poteſt per eleemoſynas. Paupertas titulus eſt ad ſalutem; honores, & proſperitas inſignes ſuppeditare poſſunt occaſiones magnis Sacrificiis; calamitates, & adverſa latam pandunt viam ad gloriam. Si bona valetudo Donum eſt Dei; valetudo mala non eſt deterius. Multa propter Deum pati, majus adhuc meritum eſt, quam propter illum multa operari. Denique Spiritus talentum eſt, ſimplicitas virtus. Oblectatur Deus ſe ſe ſimplicibus animabus communicans. Verbo, dicere poſſumus, omnia haberi poſſe tanquam talenta. Ipſa etiam vitia noſtra nobis eſſe poſſunt utilia. Nullum habemus graviorem ſalutis noſtræ inimicum, quam dæmonem: Tamen illius verſutiæ, ac tentationes ipſæ aliquid ad ſalutem noſtram conferre poſſunt. Quæ mediorum copia! quæ ſanctarum induſtriarum multitudo! Omnia, inquit Apoſtolus, omnia cooperantur in bonum eorum, qui diligunt Deum. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Gratia Dei indigemus, ut ſanctificemur.

Neceſſario Dei gratia requiritur, ut ſancti ſiamus; ſine qua conatus omnes in irritum cedunt; Itaque certi ſumus, nos quidem gratiæ deeſſe poſſe; ſed gratiam nobis defuturam; & ne unum quidem inter damnatos eſſe, qui culpa ſua damnatus non fuerit: & qui non ideo damnatus fuerit, quia uti noluit ſubſidiis, quæ illi præſto erant, ut ſalutem ſuam operaretur. Quis dolor! Infirmi ſumus, verum eſt, vehementes ſunt tentationes, & hoc verum eſt; ſed invenimus robur, virtutemque ſingularem in Sacramentis: in Sacramentis inquam, in quibus J. Chriſti merita nobis applicantur; in Sacramentis, quæ ut ita dicam, præſtant nobis balneum ſanguinis illius, & per quæ anima tot tantaque nanciſcitur in omnibus neceſſitatibus noſtris ſubſidia; in Sacramentis, quæ ſaluberrima ſunt remedia pro omnibus malorum generibus, & totidem gratiarum fontes inexhauſti. In æternum benedicaris, glorificeris, lauderis, Salvator mi; eo quod adeo valida mihi contuliſti adminicula ad ſalutem comparandam; fac Domine, ut illa mihi reddam utilia imitatus Sancti N. exemplum, qui ut ita dicam largitatibus ſuis erga pauperes, tuorumque Sacramentorum uſu coronam a te ſibi conceſſam comparavit. *Idem.*

Sedulo nobis adimplenda ſunt noſtri ſtatus officia.

Omnes vitæ hujus ſtatus multiplices viæ ſunt, quæ ſecundum divinæ Providentiæ ordinem, omnes ad extremum noſtrum finem adducunt. Tentatio eſt arbitrari, nos melius alibi, quam in eo ſtatu, quem ſumus amplexi, operaturos. Quiſnam error eſt mente ea perſcrutari, quæ eſſent futura, ſi in alio eſſemus loco ab eo, in quo ſumus, & negligere illius, in quo ſumus, officia! Paucæ artes ita benevertunt ſalutis noſtræ inimico, ſicut hæc inquieta animi ſollicitudo. Deus modo non videt te, niſi in eo vitæ ſtatu, in quo es; id unum cura, ut omnibus muneribus tuis rite defungaris. Reſpice tanquam pernicioſam illuſionem omnem hanc mentis, & cordis mobilitatem, quæ exhaurit animum inanibus doloribus, futilibuſque deſideriis, poſtquam vitæ ratio delecta jam fuit. Igitur id unum cogita, ut quam ſedulo omnia expleas ejus ſtatus officia, quem delegiſti. Conſidera quænam ſint illius munia, & quæ a te negligantur. Uteris ne omnibus adminiculis, quæ tibi in ſtatu hoc tuo ſuppetunt, ut te ipſum ſanctifices? Nullus vitæ ſtatus ſine crucibus: nulla ſine ſpinis roſa. Florentis fortunæ dulcedines, obæratæ familiæ amaritudines, tumultuoſæ conditionis impedimenta, œconomiæ domeſticæ curæ, gaudia, ploratus vitæ hujus, omnia ad ſalutem conferre poſſunt; cogita, quem in uſum hactenus hæc omnia converteris. *Idem.*

Ut noſmet in mundo ſanctificemus non ſufficit evitare malũ, bonũ quoque efficiẽdum eſt.

Putate ſatis eſſe evitare malum, quin bonum fiat, hæc nunquam habita fuit vita Chriſtiana. Quinam hero ſervus placeret, cui ſatis eſſet nullam domino inferre contumeliam, ejuſque pretioſa non frangere vaſa, quin ullam illi præſtare vellet operam, neque in re ulla eidem utilem eſſe? In religione noſtra ſatis non eſt, non eſſe pravum; bonum eſſe opus eſt. Semper magnum eſt malum nequaquam facere bonum, quod eſt faciendum. Servus iners, de quo in Evangelio ſermo eſt, nequaquam damnatus fuit eo quod creditum ſibi talentum in pravum uſum converterit; ſed tantum, eo quod ex eo lucrum non perceperit, & non dederit illud ad menſam; & Virgines fatuæ, licet ſemper Virgines, nonne a divino Sponſo ex aula convivali ejectæ fuerunt, eo quod ſopore captæ fuerunt, quin oleum ſibi compararent? Quot fidelibus hoc ipſum continget, eo quod laboribus pepercerunt! eo quod nihilo ſapientiores fuerunt! Vitium inundat, verum eſt; licentia ætatum omnium eſt; omnium ſexuum, ſtatuum omnium; ſed tandem iniquitas univerſalis non eſt. Non deſunt veri Iſraelitæ in medio Babylonis; at inter fideles raræne ſunt Virgines fatuæ, & Servi ignavi? Malum vitatur; ſecretum etiam habetur teſtimonium, quod nemini infertur injuria. Conſcientia neque injuſtitias exprobrat, neque impudicitias, neque calumnias; ſed iſta conſcientia adeo tranquilla propter malum, quod non agit, ſatis ne ſolatium invenit in bono quod illi faciendum eſt? In hoc confidimus, quod non ita nequam ſumus, ut plurimi; at confidendum nobis eſt in numero, meritiſque bonorum operum, quæ a nobis facta non fuerint? Peccatum conſcientiæ ſtimulos acuit, & meretur ſupplicia; ſed virtutis defectus minus peccatum eſt illi, cui omnia juſtitiæ officia ſunt obeunda? Hæreticus, Ethnicus etiam malum evitare poteſt; ſed Chriſtianus poteſt ne ſalvus eſſe ſine operibus bonis? Servus Fidelis æternæ beatitudinis mercedem obtinet, quia accurate minima etiam ſua officia adimplevit: *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis*; & titulus, qui electis omnibus jus tribuit ad cæleſtis Patris hereditatem, eſt viſitaſſe pauperes, infirmos, & in carcere detentos, nec non exercitatione operum miſericordiæ dies ſuos ſanctificaſſe. Bone Deus! quinam error eſt arbitrari, quod ſufficiat evitare malum, quin fiat bonum! & quot ſæculares, & forſitan etiam Eccleſiaſtici, & Religioſi a Beatorum ſede prohibebuntur, eo quod non fecerint bonum, quod ab illis Deus expetebat? *P. Croiſet in Aſceticis, T.* 5.

Humilitas eſt virtus, quæ potiſſimũ eſt neceſſaria.

S. Paulus fuſius explicat præcipuas virtutes, quas vocatio ad fidem in nobis requirit. Jure Chriſtianis virtutibus præfert humilitatem tanquam fundamentum totius ſpiritualis ædificii, & perfectionis chriſtianæ. Virtus hæc ignota Philoſophis, S. Auguſtinus ait, parum cognita Judæis, a mundi ſectatoribus contempta, adeo eſt ad ſalutem neceſſaria, ut ſine hac virtutes ipſæ fiant vitia. Norat Apoſtolus illum, qui humilis eſt, eſſe mitem, affabilem, patientem. Humiles viciſſim ſemet ſuſtinent, mutua caritate ſibi ultro citroque compatiuntur, quæ quidem caritas, cum ſuperbia ſimul eſſe non poteſt: *Solliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*; (*Epheſ.* 4.) Hoc potiſſimum curantes, ut ſpiritus veſtri conjuncti maneant in vinculo pacis: vivite inter vos, o mortales, quaſi vobis eſſet *cor unum, & anima una*. (*Actor.* 4.) Hæc unio regnare deberet inter veros fideles. Spiritus Dei, qui fideles omnes animare debet, eſt vinculum pacis. Hoc ſpiritu animemur; nulla unquam inter nos erit diſſenſio, nulla acrimonia, nulla ſimultas. Amor proprius, avaritia, mundi ſpiritus, & ambitio ſunt omnium ſchiſmatum cauſſæ. Spiritus Dei anima eſt, & vinculum pacis: *Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* (*Epheſ.* 4.) *Idem.*

PRO COMMUNI CONFESSORUM

Regum, Principum, & Optimatum Mundi, ſexus utriuſque.

M O N I T U M.

SCire ſatis eſt, Regem, vel Principem ab Eccleſia in Sanctorum numerum relatum eſſe, ut inferri ſtatim poſſit, hunc eximium Sanctum eſſe; oportet enim virtutes omnes, ſanctas actiones, cupiditatum victoriam, magna opera, quibus de Deo, deque Eccleſia optime eſt meritus, verbo, inſigne bonum, quod exemplo ſuo peperit, & malum, quod ſua auctoritate cohibuit, totidem ſint argumenta eminentis Sanctitatis, quæ in hominum oculis enituit, & coram Deo ſingularis extitit meriti; eo magis, quod infinite infrequentius, ac difficilius eſt ſeſe in ſublimi fortuna ſanctificare, quam in conditione privata, in qua non reperiuntur iidem obices ad virtutem, & ſanctitatem indipiſcendam.

Hinc facilis patet concluſio ad exornandum Sancti alicujus Regis elogium in particulari, non inquirendam eſſe aliunde dicendi copiam præter ſanctas illius actiones, atque virtutes, quæ in illius perſona enituerunt. Sed, cum ut plurimum, hæ ſint cum Monarchis aliis communes, qui ſanctitatem adepti ſunt; fere totum id quod dici poteſt de uno, dici quoque poteſt de illo, quem colimus. Omnes enim eamdem ſecuti ſunt viam; Itaque quin latius ſermo habeatur de ſublimi gradu, ad quem Deus Principem extulit ut eſſet vivens divinæ Majeſtatis imago; vel de reverentia, quæ illi debetur, in eo, cujus elogium nobis exornandum erit, unice conſiderabimus ſanctitatem, quæ illum magnum reddidit in cælo; & qua ratione illuc pervenit, præſertim vero per pietatem, cum tantum ſubjectus fuerit Deo, quantum habuit auctoritatis, & poteſtatis ſuper ceteros homines; cavendum eſt dumtaxat in Panegyrico, qui de Sancto quopiam Rege, vel ſupremo Principe inſtituetur, ne tam fuſe de ejuſdem officiis diſſeramus, ut non fiat deſcenſus peculiariter ad ea, quæ propria ſint illius, cujus feſtus dies celebratur, & ad circumſtantiam, quæ propius characterem illius poteſt connotare.

PRO COMMUNI CONFESSORUM,

Regum, Principum, Optimatum utriuſque ſexus.

Magnificentia in ſanctificatione ejus: Pſalmus 45.

Sanctitas magis enitefcit in Regibus, quam in aliis hominibus.

QUemadmodum Deus nunquam melius oſtendit virtutem, ac potentiam brachii ſui, quam cum mundi hujus Optimates Evangelii jugo ſubjecit: ita dicere poſſumus ſanctitatem nunquam melius enituiſſe quam cum in throno fuit collocata, & felix percuſſit fœdus cum ſanguinis claritate, Regum potentia, & orbis Domitorum fortitudine. Neque alia hujus rei cauſſa inquirenda eſt, præter hanc. Cum enim nemini majores perfringendi ſint obices, quam terræ hujus beatis, ut ſanctitatem indipiſcantur, ubi hi ſatis roboris, ac fortitudinis habent, ut hoc opus aggrediantur, & illis benevertat; audacter dicere poſſumus eos mereri ceterorum hominum admirationem, ſeu quod virtutum ſuarum fulgor longius emicet, ac utilius colluceat; ſeu quod nihil eſt, quod melius oſtendat meritum, & pretium ſanctitatis, quam intueri inde ipſi quoque Regum majeſtati lucis fieri acceſſionem. Hoc erit, Auditores, elogium incomparabilis Sancti N. cujus diem feſtum celebramus, ubi vobis meridiana luce clarius apparebit magnificentiam nullibi magis, quam in magno hoc Monarca enituiſſe. *Magnificentia in ſanctificatione ejus. Ex Panegyricarum Orationum Specimine Tomo* 3.

Quid ſit magnitudo.

Cum homo magnus vocari poſſit propter plures laudabiles qualitates, quarum ſingulæ magni nomen eas poſſidenti conciliare poſſunt; dari nequit notio communis, & definitio, quæ ſimul omnibus conveniat. Magnus aliquis eſſe poteſt coram hominibus vel propter virtutem, & meritum, vel propter genus, & nobilitatem, vel propter ſcientiam, auctoritatem, denique propter egregie facta. Dici ergo ſolum generaliter poteſt, quod magnum eſſe propter aliquam ex hujuſmodi eximiis qualitatibus, eſt illam non ſine aliquo excellentiæ gradu poſſidere, qui poſſidentem ab aliis vulgo mortalibus ſecernat. Sed cum hoc in loco ſpectemus magnitudinem propter generis, & fortunæ bona, quæ reverentiam, & peculiariter dignitates, honores, auctoritatem, & poteſtatem promerentur: Ecce quid hac in re morum diſciplina, & religio nos doceant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Optimates ſemper Deo ſubjecti eſſe debent.

Difficile non eſt animadvertere, veram magnitudinem ſemper eſſe debere conjunctam cum ſubmiſſione, & obedientia erga Deum, propterea quod legitima magnitudo, ex Divo Paulo, ſpecies eſt emanationis ex ipſius Dei magnitudine; ideoque talem eſſe deſineret, ſi Deo ſubjectam eſſe ceſſaret. Fallax magnitudo effectum habet prorſus oppoſitum: cum illa ſuam ducat originem ab humana ſuperbia, nihil ſuadet niſi ſuperbas cogitationes, ab homine tantum pendere. Teſtis eſto calamitoſus ille Princeps, qui nullum præter ſe Deum habere dignabatur, & qui per impotentiam dicebat: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus?* (*Exod.* 5.) *Idem.*

Nobiles viri ægrius quam ceteri omnes ſanctificantur.

Semper manus Dei opus eſt, & ejuſdem potentiæ effectus hominum ſanctificatio, cujuſcumque ſtatus illi ſint; ſed ubi ille vult potiri corde Regum, atque nobilium; ac in illis ſinceram conſtantemque ſanctitatem affingere; hoc opus eſt manus dexteræ ejuſdem, uti loquitur Scriptura: *hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Opus eſt, ut agat cum omni robore, ac vi gratiæ ſuæ, ad infringendam fatalem hanc oppoſitionem, quæ intereſt magnitudinem inter & pietatem, ad cohibendum totum cupiditatis pondus, quod ultro ruit in illos, & ad evertendos obices, quos aſtruit mundus, ut illos vi trahat, & efficiat, ut intrinſecus ſaltem conditionem, & naturam immutent. *Idem.*

Reges, & Principes ſunt viventes Dei imagines.

Nunquam ſatis iterare, ac repetere dicendo poſſumus ad ſubditos in officio continendos, Reges ac Principes eſſe Dei imagines, & in eorum perſona Deum eſſe reſpiciendum; ideoque eos, qui poteſtatem ejus exercent, & Magni appellantur, aliquem hujus magnitudinis characterem geſtare in dignitate ſua; ſed etiam oportere, ut ipſi Reges hac utantur cogitatione, ſe videlicet eſſe Dei imagines, & hoc non in eo tantum ſitum eſſe, ut vim illius, ac poteſtatem præſeferant, verum etiam bonitatem, caritatem, providentiam, aliaſque perfectiones, quæ in magni orbis hujus regimine collucent. *Idem.*

Certa principia a Principibus non ignoranda.

En aliquot principia, quæ ſcire tenentur illi qui in dignitate conſtituti ſunt, & qui in alios auctoritatem exercent. 1. Dignitas omnis a legitima auctoritate manare debet; quælibet enim dignitas ſuas habet facultates, & onera; & legitimæ dumtaxat auctoritatis eſt, alicui facultates concedere, & onera imponere. 2. Nulla in mundo legitima poteſtas eſt, quæ non ſit ordinata; omnis enim legitima poteſtas a Deo eſt, & omnis poteſtas, quæ a Deo eſt, ſemper eſt ordinata. *Non eſt poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt.* (*ad Rom.* 13.) 3. Facultates, quæ tribuuntur ab ordinata poteſtate, ſemper juſtæ, & æquæ ſunt. Onera, quæ præſcripta, & impoſita ſunt ab ordinata poteſtate ſemper juſta ſunt, & rationabilia. Nulla dignitas eſt, & eſſe nequit, cujus onera non ſint impoſita ab ordinata potentia. Igitur nulla eſt dignitas, neque eſſe poteſt in republica, cujus facultates, & onera juſta non ſint, & rationabilia. 4. Dignitatis alicujus munera eſſe nequeunt juſta, & rationabilia, niſi quatenus ſubordinata ſunt magno, ac primo oneri, quod nobis impoſitum eſt ſerviendi Deo, & ſalutem noſtram operandi. Ex quo cum hoc onere, quod nobis potiſſimum, & ineluctabile, non conſentiunt, deſinunt eſſe onera, & officia. Ita quamcumque dignitatem aliquis habeat, & quæcumque hæc illi imponat officia, non debet ſe totum impendere vel dignitati, vel officiis. Non eſt Caritatis, nec juſtitiæ, quod illis totum ſuum tempus impendat. Immo e contra Caritatis eſt, & juſtitiæ, ut illud tribuat Deo, & ſibimetipſi, ut cum Deo agat de ſuæ ſalutis negotio. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Si principũ cõditio magnis obnoxia eſt periculis in iis, quæ ad ſalutẽ pertinet, magna etiã habet bona.

Magis quidem optimatum ſalus obnoxia periculis eſt: ſed illi præ manibus habent magna ſubſidia. Vitium callide adrepit in ſtatum opibus affluentem; ſed virtus etiam nunquam ibi niſi imperioſius dominatur. Magnorum virorum mores exempla ſunt. Beati ſi eorum facta ad imitandum proponi poſſent. Hoc certum eſt, in ipſis poſitum eſſe, ut conditio ſua minoribus periculis pateat, & illa etiam effugiat, quæ illi quodammodo inhærent. Eorum, qui per genus ſuum, vel per electionem ſe ſe in aliquo vitæ genere, quodcumque tandem illud ſit, eſt, uti bonis, qui in eo reperiuntur, difficultates autem ſuperare. *Idem.*

Quid conferat ad verã principis felicitatem.

Felix eſt Princeps, qui omnes ditionis ſuæ partes amat, ut partes corporis ſui; qui ſuavis, & ad lenitatem pronus eſt, qui non niſi invitus ſeveris utitur remediis; cui nihil eſt ferox in animo; qui cum juſtitia ſuam poteſtatem exercet,